

Un  
567







32  
D. WILHELMI CHRISTIANI  
HOFFMANN

MEDICI PROVINCIALIS PALATINI  
AC HASSO-DARMSTADINI

DISQUISITIO MEDICO  
FORENSIS,

DE  
OSSIBUS FOETUS, QUATENUS INSERVUNT;  
EJUSDEM DETERMINANDAE AETATI IN CASU  
SUSPECTI INFANTICIDII.

Nebst angehängten Actenmäßigen Medicinischen  
Rechts = Wandel,

betreffend,

Einen zu befördern gesuchten Abtrieb eines Kindes  
in Mutter-Leib und verdächtigen

Kinder-Mord /

Ms 567

mit Beylagen,  
unter denen Buchstaben A. B. C. D.  
und Anmerkungen  
über die Beylage D.

Frankfurt und Leipzig 1751.

D. WILHELMI CHRISTIANI  
HOFFMANN

MEDICI PROVINCIALIS PALATINI  
AC HASSO-DARMSTADINI

DISQUISITIO MEDICO  
FORENSIS

DE  
OSSIBUS FORTUS. QUATENUS INSERVUNT  
EJUSDEM DETERMINANDAE AETATI IN CASU  
SUSPECTI INFANTICIDII

Verlag und Buchhandlung des Medicinischen


Verlag des Hof- und  
Landes-Archivars  
Johann Baptist  
Hofmann



© Allen zu besterem Nutzen geachtet wird ein  
Kinde

Kindes

unter dem Buchstaben H. B. H.  
und  
H. B. H.



Verlag des Hof- und Landes-Archivars





# PRÆFATIO.



nter tot tantaque peccata ac scelera, ad quæ perpetranda, homo, a legum divinarum, tam naturalium, quam positivarum, pariter ac humanarum norma, aberrans, peruersis animi moribus, voluptatibusque obcaecatus, iisdemque frena laxans, præcipiti consilio ac citato fertur cursu; nullum adeo nefandum, impium ac ab omni humanitatis cultu, quin & animalium natura, plane alienum scelus, dari videtur quam id, quo infans innocentissimus, res creata ad imaginem DEI condita, vita priuari, ab ipsa ejus matre, solet. Quo detestabilius vero delictum, infanticidii dolosi æstimandum: eo magis dolendum, nostro corrupto seculo, quo scelera stupri, adulterii, incestus, et nescio quæ alia vitia ad summum virtutis fastigium evehuntur, magnisque prædicantur encomiis, id criminum nefandissimum in fetu, tam in quam extra uterum vitali, variis artibus tentari ac perpetrari haud in frequenter. Ac licet increffcentia ejus generis delicta, poenis sæuerioribus capitibus, coercere admissi fuerint principes optimi, salutem populi inuigilantes, pro eademque dies noctesque sudantes: attamen tantum abest, ut leges, in hunc finem promulgatæ criminales, infanticidio doloso, et præcauendo et auertendo pares sint, ut potius meretriculæ atrociam poenae re-



formidantes, inueniendis mediis artificiisque animum intenderint majori cura, quorum ope, infanticidium perpetratum celare, leges eludere, collumque gladio subducere valeant. Inualuit enim uero, ad hunc scopum ad sequendum, mos, ut meretrices imprægnatæ, grauiditatem suam occultantes, abortum variis artibus ac remediis procurare tentent, et si ex magna, quam animo conceperant, spe, deturbatæ jacent fetum clanculum in lucem emittant, eundemque, vel uolentia admota externa, vel detracta manu auxiliatrice, in squalore morti ac terræ committant. Ac cum talis fetus breui temporis spatio, a putredine, quoad partes molliores, consumptus, postea licet inuentus ac effossus, nullum indicium suæ extra uterum uitalitatis, qua in eo, quo enixus ac in lucem editus, gauisus fuerat momento, exhibere possit: actum sane fere est, de iudiciali inquisitione ulteriori; cum de corpore delicti nil certi constet. Ac quod si infanticida, tempus conceptionis uerum celare, aliudque, cum partu, & naturali, et præcoci uitali, minus coincidens, sub callide excogitata, ueri speciem præ se ferente facti enarratione, iudici insinuare sciat: ipsa & infanticidii suspicionem procul dubio eliminabit; quia abortus, extra uterum, nec uiuere, nec uita priuari potest, nisi ex partibus durioribus seu ossibus corporis, quoad molliora iamdum corrupti, certa indicia adferantur, ex quibus fetus istius major ac talis perfectio, per quam, salua uita, extra uterum subsistere poruisset, concipienda ac demonstranda foret.

Obriguit non ita pridem, in nostra prouincia, haud multum absimilis casus, ubi fetus, a meretrice et adultera famosa, clanculum exclusus, sex uel septem septimanarum spatio inhumatus; a putredine paene consumptus, planeque diffluens inspectioni



Etioni oblatuſ eſt iudiciali, quem, oſſibus ſatis validis, firmis  
 ac ſolidis inſtructum, ac quoad oſſium robur ſatis perfectum,  
 pro partu, ſi non naturali, ſaltem ſeptimeſtri majori, qui vi-  
 tam et extra vterum protrahere potuiſſet, declarare, nullus  
 dubitauit. Inde ſane, concurrentibus multis aggravantibus in-  
 diciis, haud leuis perpetrati infanticidii, in matrem infelicis  
 partus, redundauit ſuſpicio, ex qua, abſque multo negotio,  
 vix ſe extricare potuiſſet, niſi collegii medicorum, in conſilium  
 à iudice vocati, membra tria, tacito conatu ſententiam atro-  
 carbone notantia noſtram, fetum, propter deficientem legiti-  
 mam magnitudinem, ad certam, ab ipsis determinatam men-  
 ſuram comparatam, abortivum plane ac immaturum pronunciaſ-  
 ſent, unico tantum iſtius collegii membro, eoque ſeniore, ad  
 noſtram ſententiam per omnia accedente, ac deſiſſioni noſtræ  
 album addente calculum. Quo quidem inter medicos diſſenſu  
 quam maximo, ſuper quaſtione cardinali ac deciſiua: utrum  
 partus quaſtionis extra vterum viuere, ac vitalitatis ſigna edere  
 potuerit, nec ne? factum eſt, ut iudex in partes negantium id  
 medicorum, tanquam plurimorum, ductus, in caſu nunc du-  
 bio mitiorem amplectens ſententiam, dignam iudicauerit in-  
 quiſitam, quæ ab imputato infanticidio penitus abſoluatur, & le-  
 uiori poena extraordinaria caſtigetur. Licet igitur tanto ingenii  
 acumine inſtructus non ſim, nec in praxi forenſi adeo exercita-  
 tus, ut deſiſſionem ſane ſublimem medicorum diſſentientium  
 in hac cauſa, eruditione pariter ac experientia haud mediocri  
 conſpicuorum, perſpicere, inque primos argumentorum aditus  
 intimosque eorum recessus penetrare, ne dicam, in cenſuram  
 eandem reuocare valeam: Nihil tamen impedire potuit, quo-  
 minus ſcriptum iſtud ingenioſum legenti ac perlegenti, inque

rationum in contrarium adductarum robur veritatemque rei ipsius paulo curatius inquirenti, haud leuia ac inania inciderint dubia, nonnulla inadæquate ac improprie locuta, aliaque pro rei necessitate minus explicata, quædam sibi inuicem repugnantia, nec pauca a veritate parum recedentia visa fuerint, quæ singula sub notarum titulo, scripto ipsi adiungere, non abs re fore duxi. Interim vero, cum non parum scire intersit, an ossa fetus characterem exhibeant constantem, ex quo aetas ejusdem, cum certitudine determinari, & iudex in casu suspecti infanticidii, certior fieri possit, de ipsius, extra vterum ad vitam ducendam, perfectione necessaria: quædam in hunc finem litteris consignavi, ac infimul sententiae nostrae ulterius stabiliendae operam dedi.

Hæc est ratio, quæ fetum huncce litterarium, jam pridem animo nostro conceptum, ac ossa fetus humani exhibentem, quatenus determinandae ejusdem aetati inferuiunt, amore veritatis ac justitiae obstetricis munere fungente, in lucem publicam emittendi, ansam præbuit. Casum vero actis respondentem, puncto attentati abortus ac suspecti infanticidii, una cum adiunctis medicorum super eodem depositionibus diuersis, adspersisque notis scripto, sententiae nostrae contrario, ad calcem lucubrationis adponere, e re instituti nostri iudicauimus. Ita enim fiet, ut aequi rerum aestimatores eo facilius rem, sub adcuratioris examinis incudem vocare, & eo feliciori successu, a quibus partibus veritas stet, iudicare possint. Quod reliquum, beneuolum lectorem, ea, qua par est, obseruantia rogo, ut partum huncce, eo, quo ipsi offertur animo, suscipiat atque adfectu. Faxit SVPREMVM NVMEN, ut hi qualescunque conatus, cedant in sui nominis gloriam, proximi ac reipublicae salutem nec minus justitiae administrationem curatiorem,

DISQVI.

# DISQVISITIO MEDICO FORENSIS,

DE

OSSIBVS FOETVS, QVATENVS INSERVIVNT,

EJVSDEM DETERMINANDAE AETATI, IN  
CASV SVSPECTI INFANTICIDII.

## §. I.

Constructum esse corpus humanum organicum, ex partibus fluidis ac solidis, iisque, & mollioribus & durioribus, docet anatome; partes vero corporis humani duriores ac durissimæ ossa dicuntur.

## §. II.

Characterem discretivum, de ossibus (§. I.) exhibitum relationem inuoluere, eamque ob causam ipsam definitionem, legibus logicis minus adcommodatam esse, nonnulli forsan haud immerito judicabunt. Ast ossa in corpore humano, cum, a partibus aliis solidis, non, nisi duritie ac cohaesionis gradu majori distinguantur: alia eorundem notio, nec reddi, nec eadem vitiosa poterit pronunciari. Mathematicis, praeunte eorundem principe EUCLIDE licet, lineam rectam, per lineam breuissimam inter duo puncta definire. Quis ergo medicis vitio vertet, si partes corporis humani, determinata structura ac cohaesione praeditas, caractere discretivo relativo a se inuicem discernere adlaborant?

## §. III.

Molle dicitur corpus, quod tactui facile cedit: seu, ejus a determinato cohaesionis gradu, dependens figura per vim, vi digitorum hominis non majorem, facile mutari potest. Corpus ergo huic oppositum, durum erit, ejus cohaesionis gradus, per tactum, seu vim, vi digitorum non majorem, superari nequit, Qui cohaesionis gradus, quodsi vi adhibitae, vi digitorum paulo  
fortiori

§) o ( §

fortiori cedat; corpus minime durum, & maxime durum istud dici meretur, ad cuius cohaesionem diuellendam, vel maxima vis externa requiritur. Cum igitur infiniti hujus cohaesionis corporis duri dentur gradus intermedii: hinc patet, & infinitos duritiei gradus uti in quouis corpore duro, ita & in ossibus corporis humani, (§. 1.) constitui posse. Quorum duritiam, & pro diuersitate inter se, & pro aetatum diuersitate, esse admodum diuersam, per experientiam edocti scimus.

§. IV.

Sermonem igitur, de ossibus fetus facturo, quatenus inseruiunt, ejusdem determinandæ aetati, in casu suspecti infanticidii, in id inquirendum esse potissimum censeo, unde character singulis ossibus communis, cum determinata fetus aetate nunquam non coincidens, peti, ex eoque aetas ipsius determinari possit, cum constantia. Et aetas quidem fetus ordinaria ac naturalis, cum tempus nouem mensium solarium seu XXXIX septimanarum complectatur, per experientiam: ex characterē isto, responsio reddi debet, quoniam mense circiter fetus fuerit exclusus? ac an, per aetatem hanc determinatam, salua vita, uiuus extra uterum subsistere, signaque vitalitatis edere potuerit, nec ne? de quibus iudex, ante, omnino certior factus sit, necesse est, quam sententiam in causa infanticidii suspecti ferre valeat.

§. V.

In ossibus corporibus humani, generatim consideratis, preter eorundem numerum, figuram, colorem, volumen seu magnitudinem, situm, nexum, substantiam ac structuram internam, nil sane distinguendum se offert. Quare characterem (§. IV.) desideratum inuenire aditenti, indagandum erit, quoniam modo dictarum affectionum eundem exhibeat constantem,

§. VI.

§. VI.

Nummerum ossium corporis humani, anatomici, pro diuersitate ætatum, subiectorum ac computatione calculi, admodum diuersum, in feribus ac iunioribus maximum eumque incertum, in adultis minorem, inque senibus minimum ponunt. Ea enim est in corpore humano lex, ut ossa multa antea disiuncta, in prouectiori ætate, in unum coalescant os, & stamina ossium membranacea ac cartilaginea non successiue, unum post aliud, sed simul uno eodemque tempore in osseam tendant naturam; uno licet citius, quam aliud ad perfectionem perueniente. Numerus ergo ossium, (§. V.) cum, neque ætati fetus diuersæ respondeat proportionalis, neque certus ac constans deprehendatur: characterem dictum (§. IV.) continere nequit.

§. VII.

Ossa in statu naturali considerata, in quavis ætate, sub diuersa dimensione ac magnitudine, unam eandemque seruant figuram. Ac licet figura quorundam ossium, in auctiori ætate, ab actione musculorum superstratorum extensoria ac compressoria, in loco imprimis insertionis tendinum, paulum mutetur: ossa tamen fetus, faciem, quoad figuram mutatam, nunquam exhibent, experientia teste. Figura ergo ossium, (§. V.) cuilibet fetus ætati in una eademque ratione conueniens, characteri quaesito (§. IV.) inueniundo, pariter inferuire haud potest.

§. VIII.

Nec color, singulis ossibus proprius, (§. V.) in exsiccatis albus, in recentibus, ex pallide rubicundo, plus minus albicans, eundem exhibebit characterem, (§. IV.) Qui licet in iuuentute rubicundior, quam in ætate consistente adpareat, inque senectute, in pallidum plane abeat: nihil tamen peculiare, pro ætatis fetus diuersitate, demonstrat.

§. IX.

Ad volumen seu magnitudinem ossium (§. V.) quod attinet;

B

certum

certum quidem est, eandem, a prima ossium origine, ad absolutum usque eorundem incrementum, maximas subire mutationes, eamque eo esse auctiorem, quo ossa ad ætatem consistentem proprius accedunt. Quam ob causam, ex magnitudine ossium, pro diuersitate ætatis fetus diuersa, utique character desumi potest, determinans ejusdem ætatem (§. IV.) cum constantia; modo magnitudinem, quam ossa, sub diuersa ætatis periodo, & in fetu & in aderescentibus acquirunt, numeris definire liceret. At enim uero, quominus id fiat, obstat non solum adcretio ossium, non in una eademque, sed in diuersa, pro ætatis ratione, succedens proportione, sed & mira varietas ossium, quoad magnitudinem, uti in adultis ac junioribus: ita & in fetibus occurrens. Dari ossa quæ citius voluminis ultimam metam attingunt, aliis serius eo tendentibus, notabilis proportionis, inter caput ac reliquum corpus, speciatim ejusdem pedes, pro ratione ætatum, obseruanda diuersitas, abunde comprobatur. Experientia enim constat, caput in primordiis fetus, reliquo corpore esse majus; in bimestri constituere fere dimidium corporis, ac superare adhuc thoracem ventremque: in infante uero recenter nato, caput tertiam totius corporis partem fere absoluere; (BOERHAV. *Prælection. c. not.* III. L. B. de HALLER. T. V. P. II. p. 385.) nec minorem proportionis inter caput ac reliquum corpus intercedere inæqualitatem, si partus recenter exclusus, cum adulto comparatur, quippe quam pictores, in subsidium artis suæ, in infantibus recenter natis, ut I. ad 3, ac in adultis, ut I. ad 8 numero rotundo exprimere, haud incongruum duxere. Magnitudinem ossium in adultis pariter ac foetibus, pro subiectorum, & in statu naturali sano spectatorum, diuersitate; incertam, inconstantemque, quotidiana factis superque testatur experientia, nec unquam in dubium vocabitur, nisi ab iis, qui sensationibus propriis nullam plane fidem facere, sibi proposuere. Sanioris igitur mentis ac iudicii arbitris, merito dijudicandum relinquo, quo nitatur eorum sententia

tia

tia fundamento, qui ex sola ossium fetus magnitudine extensura, ætatem ipsius determinare inepte conantur.

§. X.

Situs ac nexus ossium, (§. V.) seu ratio coexistendi eorundem inter se, in quocumque ætatis termino, quamdiu status perdurat naturalis, una eademque permanet, eamque ob causam, ad characterem requisitum (§. IV.) stabiliendum, plane nil confert.

§. XI.

Character igitur, ætati fetus determinandæ adcommodatus, (§. IV.) cum nec in numero, (§. VI.) ac figura (§. VII.) nec in colore (§. VIII.) ac magnitudine, (§. IX.) nec in situ ac nexu ossium (§. X.) hæreat; si quis datur? in substantia ossium ac structura eorundem interna, (§. V.) cui innititur substantia, procul dubio reperiendus erit. Disquirendum ergo est, an substantiæ ossium character iste insit?

§. XII.

Circa substantiam, ejusdemque constitutionem, pro ratione ætatis diuersam, ubi tantum modo cohesionis ac duritiei gradus (§. III.) spectatur, sequentia notanda occurrunt:

1) Partes corporis humani duriores, quas ossa vocamus, in principio generationis constare lamellis tenuissimis membranaceis.

2) Quæ ossium stamina membranacea (n. 1.) sensim incrementa, magis magisque compacta, paulatim ac insensibili ratione, transire in cartilagineas tenues, abhinc in duriores; ac ubi habitum cartilagineum adeo manifestum non exhibent. (NESBITH. Osteolog. Lect. I.) saltim majorem nancisci densitatem, crassitiem ac duritiem, quo propius ad ossium accedunt naturam.

3) Rudimenta ossium membranacea ac cartilaginea (n. 2) postea ossi ficari incipere, vel in uno tantum, vel in pluribus locis simul, ordinatè quidem circa ossis mediam ac partem principalem, quam *corpus ossis*, seu *diaphysin* nominare solent,

4.) Ex punctis seu centro ossificationis; (n. 3.) osseam naturam, paulatim lenteque communicari, cum proxime adiacentibus partibus, plerumque extrema, seu peripheriam versus; id quod tamen, in quibusdam ossibus, inuersa plane succedere obseruatur ratione.

5. Ossium extremitates ac eminentias, & cum corpore ossis (n. 3.) veras partes constituentes continuas, *apophyses* dictas, & cum osse principali, intermedia cartilagine seu membrana connexas, ac contiguas, quæ *epiphysium* nomine veniunt, ferius ac ultimo demum loco acquirere firmitatem ac stabilitatem; & antequam id fiat, articulationes esse imperfectas nec satis conspicuas.

6. Nec minus istas partes osseas, quæ non unum, sed plures terminos ossificationis agnoscunt, (n. 3.) ex diuersis, interposita cartilagine, seu membrana, constare frustis osseis, successu temporis, in unum os coalescentibus.

7. Apophyses ac epiphyses ossium, (n. 5.) in recenter natis, per notabile adhuc tempus, manere cartilagine: in osseam vero tractu temporis euecta substantiam, laxiori ac spongiosa maximam partem gaudere substantia, diaphysi ossis (n. 3.) duriori ac firmiori instructa, quibusdam ab hac lege exceptis, quorum apophyses, ipso corpore deprehunduntur duriores.

8. Nec vero diaphysim (n. 7. ossium, ubique uno eodemque gaudere firmitatis ac duritici gradu, sed exhibere, substantiam spongiosam ac tenerimam, ubi cum epiphysibus, per superficiem inæqualem concrescit;

9. Cartilagine ac membranas ossibus adnexas, in ætate puerili satis conspicuas, quoad maximam partem, mutari in osseam substantiam, ac coalescere non solum multa ossa antea disiuncta in unum os, sed transire quoque plerasque epiphyses in apophyses ac veram continuam ossis partem, oblitterato penitus connexionis loco, quo proprius ad ætatem consistentem accedit homo.

10. Interponi ac obducere cartilagine in ætate consistente eorum

rum



rum tantummodo ossium capitula ac extremitates, quæ articulationi destinata, & dimoueri, & separata teneri debent: ossa vero ipsa sensim fieri duriora ac fortiora.

11. In senectute tandem cartilagine non solum in ossicam substantiam transire fere omnes, ac conferruminari ossa, antea disjuncta, sed & ossa ipsa fieri admodum sicca ac rigida, unde ad motum ineptitudo ac præceps fractura concipienda.

12. Nec vero in senectute cartilagine solum, sed & partes quascunque molliores corporis humani, accedente ac prægressa imprimis vita laboriosa, mutari in naturam cartilagineam, abhinc in ossicam, maxime membranas arteriarum, ac musculorum tendines, quæ sua densitate proxime quidem excipiunt ossa ac cartilagine. (de HALLER, *not. ad Prælect.* BOERHAAV. v. III. p. 501. 505.)

§. XIII.

Ex dictis, (§. XII.) quæ in dubiæ experientiæ innituntur fulcro, patet constitutionem ossium, quoad substantiam, pro ætatum diuersitate, miram ac variam admittere faciem, nec dari in corpore nostro os, quanquam durissimum, quod non antea fuerit cartilago, vel certe membrana; nullam cartilagineam quæ non fuerit membranulla mollis ac tenuis; nec transire ossa uno momento, sed lenta, ac insensibili fere ratione, ex uno, vel aliquot punctis in perfectionem majorem, multis ossiculis, in unum continuum os sensim coalescentibus. (§. cit. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6.) Leges enim ac gradus adcretionis (§. cit.) positos, singula ossa, ante omnino subire debent quam ad sui perfectionem deueniant, ac cuilibet successivi incrementi termino determinato, per immutabile AVTORIS NATVRAE institutum, ut determinata quoque temporis mensura respondeat, necesse est. Quæ cum ita sint, ex substantia ossium, pro ætatis ratione diuersa, character indicandæ fetus ætati adæquatus, utique poterit depromi, modo singulis mensibus quibus fœtus utero continetur notabilem varietatem ossium, quoad substantiam, cum determinato hoc tempore nunquam

non coincidentem, obseruare licet. Disquirendum ergo erit, an singulis mensibus tanta succedat ossium fetus, quoad substantiam mutatio, ut ex hac, tanquam nota characteristica, ad ætatem fetus, cum constantia inferre valeamus. Quæ vero mutatio, cum tantum modo in gradu cohæisionis ossium fetus auctiori consistat, hinc quantum involuat determinatum; character ex ista mutatione substantiæ ossium fetus, desumptus, ne utiquam a priori, sed a posteriori solum poterit stabiliri. Euoluamus igitur in hunc finem monumenta anatomica, collecturi auctorum, fide dignorum, quibus fetuum omnium ætatum copia data fuit, obseruationes adcuratas reiteratasque, circa ossa fetuum, variæ ætatis, & generatim, & sigillatim considerata, consignatas, quorum fidem autoritatemque sequemur, cum tam penuria fetuum, comparatu difficilium, quam tempus, ad obseruationes inflictuendas, requisitum, iusto longius haud permittant, propriam adferre experientiam. Ante vero quam id fiat, pauca, de ossium structura interna (§. v. XI.) eorundemque nutritione ac incremento præmittenda censeo.

#### §. XIV.

Inter partes, ossa construentes, primum visui se offert membrana, ossa ac partes, ossibus adnexas maximam partem externe inuestiens. Quæ, ubi ossa cingit, *periosteum*; ubi ossa cranii, in specie circumdat, *pericranium*; ubi cartilaginibus, ossium adhærentibus extremis, super extensa est, *perichondrium*; ac ubi ligamenta ossæa ambit, *peridesma* adpellatur. Dentes quantum extrâ alucolos eminent, ossa, ubi cartilaginibus tecta, ac loca ubi tendines ligamenta que immediate ossium implantantur substantiæ, a periosteo haud esse obducta, omnes consentiunt anatomici: an vero & cartilagine, articulationibus inseruientes mobilibus, frictionibusque expositæ, suo destituantur perichondrio, ut comunis fert opinio, a quibusdam non sine ratione in dubium vocatur. (v. Ill. de HALLER *in not ad*  
*Præf.*

*Præf.* BOERHAAV. T. III. p. 2. 3.) Quoad periosteum sequentia notemus structuræ ratio postulat.

1. Constare periosteum, ex pluribus fibrarum planis; & laminam quidem ejusdem, ossibus proximam, esse compositam, ex fibris, sibi inuicem parallelis, secundum longitudinem, & super juncturas ossium, horumque ligamenta, uno ordine excurrentibus, in membranam veram, simplicem ac albam; exteriorem vero, huic superstratam, exhibere fibras absque ordine dispositas, se inuicem decussantes, probat diuersa, in eo occurrens fibrarum series. Quarum laminarum hæc quidem, a musculis ac tendinibus adiacentibus, ista a dura matre propagata videtur. (HAVERS *Osteol. nov. Disc.* I. p. m. 17. *seqq.*)

2. Quo plura dictarum fibrarum, (n. 1.) in primis tendinearum strata, sibi inuicem incumbunt, eo maiorem acquirit periosteum densitatem ac crassitiem: pro ratione vero crassitiei ac densitatis, idem plus minus transparentis in conspectum prodit. (HAVERS. I. c.)

3. Vasculis instructum esse periosteum innumerabilibus rubris, arteriosis venosisque varie reticulatis, in apicem ponunt injectiones RVISCHIAMAE (v. in *Theaur. ac. advers.*)

4. Idem & abundare innumeris filamentis nerueis, probat & facies ac origo fibrarum (n. 1.) & acutissimus ejusdem sensus.

5. Ex variis illis fibrarum planis ac seriebus, varia ratione ordinatis (n. 1. 2.) innumerisque vasculis ac filamentis nerueis (n. 3. 4.) compositum est periosteum, in texturam tenuem quidem, aut densam, fortem, nec facile extensilem. (III. WINSLOW *exposition anatomique, traité des os frais.* (n. 60.)

6. Cujus interior superficies, exteriori inæqualior, multisque in locis, & sulcis & diuersis protuberantiis, ab ossium inæqualitatibus superficialibus, impressis, notata, ossibus adhæret, intermediis infinitis paruis extremitatibus, ex omnibus planis e-

mergen-

mergentibus, poris in omni minima fede osium reperiundis, se insinuantibus.

7. Extremitates istæ, ex fibris, ac filamentis nerueis, maximam vero partem constant, ex vasis capillaribus arteriosis venosisque, (n. 3.) quæ ceram RVSCHIANAM in primo pororum aditu admittentes, propter exilitatem suam protinus oculorum aciem effugiunt. (WINSLOW l. c. n. 62. 63.)

8. Ea vascula (n. 7.) inter diuersa periostei plana repentia, inde prodeunt, ad aperturas pororum ossium, per eosdemque se immergunt in interualla fibrarum ac laminarum ossæarum.

### §. XV.

Constatam esse substantiam ossium addulcorum, ex partibus acquosis, salinis, sulphureis, maximam partem, ex materie terrea, figuram ossium separatis reliquis partibus, retinente, fragili ac friabili, docet examen ossium chemicum. (HALLERS l. c. *Disc.* II. p. 35. seq.) Quæ vero de structura interna tradit anatome, ad sequentia redeunt capita:

1. Referre ossa, in prima sua origine membranas molles; supra (§. XII. n. 1.) dictum est. Quemadmodum autem membranæ istæ ex fibris sunt compositæ tenerioribus, flexilibus: ita & ossa, ex fibris, aut solidis, iisque rigidioribus constare videntur. Quæ licet difficilius a se inuicem recedant: in superficie tamen costarum ac fissuris ossium, ætui solis ac iniuriis aeris per longum tempus expositorum in conspectum prodeunt. (HALLERS, l. c. p. 40. seq. WINSLOW *des os* sec n. 84.)

2. Fibræ ossæ, (n. 1.) tanquam partes constituentes ossium simpliciores, uti pro diuersa eorundem dispositione, varias componunt partes ossium magis compositas: ita speciatim; ubi situ parallelo iuxta se inuicem iunguntur, membranas solidas, seu bractæas ac laminas ossæas; ubi obliquam, transuersam ac tortuosam obtinent directionem, lamellas seu squamulas ossæas; ac ubi in fasciculos notabiles oblongos cœunt, trabes ac filamenta ossæa, varix magnitudinis constituere videntur.

3. Practæx

3. Bractea seu lamina ossæ vero lamellæ seu squamulae ac filamenta ossæ, (n. 2.) certa ratione disposita, triplicem ossium substantiam constituunt, ex parte compactam, densam duramque, ex parte cellularem seu spongiosam, minus duram, ex parte reticularem. (WINSLOW l. c. n. 86.)

4. Substantiam ossium compactam. (n. 2.) circumferentiam ossium occupantem, in majoribus ac cavis ossibus maxime conspicuam, componi pluribus ac variis bractearum seu laminarum ossæarum (n. 2.) crustis ac planis, pro conformatione ossium varie figuratis, crassitiei eorundem, quoad numerum proportionatis, sibi inuicem superstratis, arteque conjunctis; probant ossa fracta oculo armato perlustrata, ossaque inclementiæ cœli per longum tempus exposita, igne ad certum usque gradum calcinata, itemque per longam coctionem in digestore PAPINIANO emollita, examinata; præterea id euidetum dant exfoliationes ac secessus festucarum ossium læsiones excipientes.

5. Substantiam cellularem seu spongiosam, (n. 3.) multis variisque cauernulis cancellisque, inter se communicantibus, notatam, medium ossium notabili cavitate haud insectorum, ac extrema ossium cauorum, itemque epiphyses occupantem, ingrediuntur, non solum squamulae seu lamellæ (n. 2.) ratione & formæ & magnitudinis admodum diuersæ; sed & filamenta ossæ, (n. 2.) varia ratione, interdum in speciem spongiæ subtilis implicata ac disposita.

6. Textus ossium reticularis, in ossibus longis, horumque cavitatibus maxime reperiendus, ex solis formatur filamentis ossæis, (n. 2.) diuerso modo, artificiose sibi inuicem intertextis, & a parietibus laminarum internarum, & ab extremitatibus ossium, & a textura spongiosa propagatis.

7. Generatim laminae ossium exteriores, planas, æquales ac regulares, interiores per gradus, plus minus inæqualiter corrugatas atque incrispatas exhibent crustas, quas in multis ossibus excipiunt laminae, maxime internæ plus minus perforatae seu

seu cribriformes ac reticularæ, multis foraminibus ac aperturis, diuersæ amplitudinis ac figuræ distinctæ: ita quidem, ut laminæ exteriores videantur sensim decedere, a regulari forma, constructuræ alteram partem cellularem, spongiosam ac reticularem (n. 5. 6.) (GAGLIARDI *anatomie ossium* C. I. Obs. IV - VIII. WINSLOW I. c. *des os secs* n. 95. 96.)

8. Cohærere ac connecti diuersa laminarum ossæarum, & externarum & internarum strata, (n. 7.) non tantum per mutuam contactum, ac interpositum succum osseum conferruminantem; sed & intermediis ossiculis, ad instar clauiculorum conformatis, diuersæ speciei ac figuræ varioque ordine dispositis, quæ totidem productiones transuersæ filamentorum ossæorum, laminas componentiū esse videntur. Auctor est GAGLIARDI. (*anatomie ossium* C. I. Obs. II. III. VIII.)

9. Ossa vero, quoad conformationem externam, uti superficie gaudent admodum inæquali, pluribus & eminentiis & depressionibus notata: ita & in structura eorundem interna (n. 1. 8.) multæ occurrunt cavitates, quarum aliæ, magnas cavitates fistulosas internas ossium longorum cylindroidæ, volumini ipsorum respondentes; aliæ cellulas diuersæ magnitudinis ac figuræ; aliæ canales seu alveos, substantiam ossium trans fodientes ac permeantes: aliæ poros ex parte sensibus vix percipiendos, in substantia ossium ipsa se terminantes ac euanescentes constituunt.

10. Prima dictarum cavitatum species (n. 9.) superficiem in medio æqualem, versus extremitates inæqualem ac textum exhibet reticularem (n. 6.) medullamque ossium continet: altera substantiæ ossium cellularis ac spongiosæ interualla (n. 5.) quæ succum condunt medullosum rubicundiorē ac liquidiorē, absoluit.

11. Cavitatum internarum in tubulos ac canales constructarum (n. 9.) aliæ circa epiphyfes ac in marginibus extremitatibusque ossium, per aperturas admodum conspicuas, aut breues in sub-

sub-

substantia compacta (n. 4.) ac exigua foraminula in cellulis osseis, (n. 5.) vasis sanguiferis transitum concedunt, in textum spongiosum penetrantibus; alix in ossibus cylindroideis ac fistulosis, nec eorundem quidem parte extrema, sed fere media, viam sibi pandunt obliquam, vel adscendentem vel descendentem, ad fistulam usque interioriorem ipsam, per quam vasa sanguifera decurrunt ad medullæ ossium sedem.

12. Pori denique ossium (n. 9.) in externa superficie innumera- biles, inter fibras ac laminas secundum longitudinem porrecti; vasa periostei (§. XIV. n. 7. 8.) recipiunt; interni vero, qui visum fugiunt, humorem unctuosum medullorum in ossis transmittunt substantiam, quam transudationem immutatio ossium, in quibus medulla relicta est, in colorem ex albicante subflauum abunde probat. De medulla ac vasis ossium sanguiferis proxime sequentibus dicendi locus erit.

§. XVI.

Ossa maximam partem, in majoribus cavitatibus fistulosis; materiam unctuosam, subtilem, blandam, satis firmam continent, ac in cellulis succum oleosum pariter quidem, ast molliorem, liquidiorum ac rubicundum. Istam *medullam*, hunc *succum medullosum* dicere solent; licet utraque materia, junctim sumpta, sub medullæ nomine veniat. Medulla strictè sumpta, paulo curatius examinata, congeriem exhibet vesicularum membranacearum, inter se communicantium, sibi inuicem junctarum, dicta materia repletarum oleosa, per quarum intervalla ac membranulas, vascula utriusque generis sanguifera numerosissima ac filamenta nervea repunt. Massa hæc uniuersa à textu ossium reticulari sustentatur, ipsam vario modo transfodiente, (§. XV. n. 6. 10.) ac cingitur membrana communi tenui, instar periostei interni, intermediis infinitis vasis capillaribus ac filamentis tenuissimis, cum superficie ossis interna connexa, quam tamen membranam a sacculis medullois distin-

Etiam, nonnulli negant anatomici (*de HALLER not. ad prælect. BOERHAAV. Vol. III. p. 7.*) Medulla substantiæ cellulosa seu succus ita dictus medullofus pariter constat ex innumerabilibus cellulis membranaceis, squamulis ac filamentis osseis interceptis quidem, aut communicantibus, cavernulas osseas ac filamenta interposita (§. cit. n. 5. 10.) investientibus, quarum cellularum qualibet; dicto succo medulloso repleta, vasculis abundat sanguiferis arteriosis venosisque.

### §. XVII.

Vasorum sanguiferorum tres potissimum species ossium ingrediuntur substantiam ac medullam. Prima species constituit productiones seu continuationes vasorum capillarium reticularum periostei externi, (§. XIV.) per poros, (§. XV. n. 12.) secundum longitudinem fibrarum ac laminarum ossearum in substantiam osseam se immergentes. Altera per fossas, circa epiphyses ac extremitates ossium reperiundas (§. XV. n. 11.) ramulos exiguos demittit sanguiferos, & arteriosos, & venosos, in medullasam membranam non solum cellularum ossearum ac ipsum succum medullosum, (§. XVI.) sed & in ipsam substantiam osseam. Tertia species in ossibus cylindroideis per proprios tubulos (§. XV. n. 11.) decurrentes arterias venasque, ut plurimum se inuicem comitantes exhibet, quæ ramulos, non tantum largiuntur, inter laminae fibrasque osseas se insinuantes, sed ad fistulam usque ossium interiorem propagatas, ubi una cum filamentis nerveis, in expansionem subtilissimam membranaceam abeunt, ac in rete intricatae in medullarem substantiam se immergunt. Hinc triplex datur in ossibus fistulosis sanguinis circuitus, duplex in reliquis difformibus, longa cavitate fistulosa haud instructis; ista enim vasa sanguifera cuiuslibet speciei modo recensita sovent, hæc tantummodo vasa primæ ac secundæ classis accipiunt.

### §. XVIII.

Materia medullosa pinguis in ossibus reperiunda, secundum leges



leges secretionis, in sacculis medullofis a sanguine, per vasa medullofa advecto, segregata, (§. XVI.) cum in finem tantum comparata videtur, ut quoad partem subtilem oleofam per poros offium internos, (§. XV. n. 12.) in substantiæ offium intervalla se infinuans, offa a nimia rigiditate ac fragilitate defendat. Offa enim senum, in quibus materia medullofa deficere incipit, succedente in ejus locum serofa, eandem ob causam fragilitati obnoxia sunt, ac offa, expulfa per calcinationem materia oleofa, fragilia ac friabilia reddita, oleo quamprimum intingantur, eodem cum sibilo reforpto, ad pristinam suam redeunt durtiem. Vafa sanguifera (§. XVII.) ac arteriofa quidem, sanguinem, partim secretioni medullæ, partim nutritioni & adcretioni offium necessarium advehunt, venæ redundantem revehunt. Qua ratione vero peragatur nutritio & adcretio in corpore animali generatim, ac speciatim, quatenus offa respicit paucis nunc evolendum erit.

§. XIX.

Ea est corporis nostri viuentis conditio, ut massa sanguinea perenni motu circulari circumacta, ac concurrente motu intestino resoluta, separatis multis humoribus, cum noxiis excrementitiis, tum salutaribus, in substantiam corporis conuertendis, acrior reddita, ipso hoc motu, & progressiuo & intestino cito confumeretur; quin & humores, a sanguine secreti, motu nimis attenuati, per vascula excretoria exhalarent: vafa vero sanguinem humoresque reliquos vehentia ac coercentia minora, continuo horum impulsu ac attritu, multis particulis solidis in interiore vasis pariete collocatis, minori vi cum vase cohærentibus, ab acrimonia humorum contentorum breui temporis spacio dissoluerentur, exinanita saltim propter defectum humorum collaberentur, ac parietes interni, dato immediato contactu, cohærent, adeoque vita, ipsis suis viribus breui destrueretur mortemque inferret; nisi tam fluidæ partes, per secretionem varias amiffæ, quam partes solidæ vasculorum, impulsu

pulsa ac adfrictu fluidorum detritæ continuo resarciuntur. Ubi partes dicto modo deperditæ, substantiæ corporis necessariæ, restituuntur, *nutriri* corpus dicunt, ac ipsa actio naturalis, qua reparatio partium dicto modo consumptarum, pro vita constanti seruanda, ac adpositio nouarum, pro incremento & majori corporis robore obtinendo, perficitur, *nutritio*: materia vero nutritioni proxima *nutribilis* seu *nutrimentum* adpellatur.

### §. XX.

Cum partes, & fluidæ, & solidæ in nutritione sint resarciendæ: (§. XIX.) nutrimentum non solum partes fluidas, sed & solidas continere debet; ac cum idem ita dispositum esse debeat, quòd per vasa majora vehi, ac in minora penetrare, subtilissimaque permeare possit vascula, (§. cit.) quæ conditio corporibus fluidis tantum propria competit: hinc patet, fluida, quæ partes solidas secum vehunt, nutrimentum corporis constituere ac ad nutritionem peragendam requiri. Cum præterea singulæ corporis humani partes, continua refectione opus habeant, neutiquam autem per tale fluidum, quod vascula minima per acrimoniam suam destrueret, eadem absoluenda sit, necessitas inde elucescit, quare nutrimentum in singulis partibus, ac punctis corporis præsens, nec vero in acrimoniam facile transiens corruptionemque, in hunc finem requiratur. Disquiramus igitur, quale sit id fluidum in corpore humano, dictis requisitis instructum.

### §. XXI.

Massa sanguinea, tanquam fluidum nostri corporis primum, cum singulas ac minimas corporis adeat partes, ad nutritionem ab soluendam procul dubio foret aptum, nisi obstaret, tam crassities partium quarundam, ob quam inepta redditur, quæ in vasa subtilissima penetrare valeat, quam summa ejusdem heterogeneitas, nec contineret partes nutritioni, vel minus conuenientes, vel plane aduersas. (§. XX.) At enim vero sanguis, quoad

univer-

universam spectatur substantiam, licet nutrimentum corporis proximum constituere nequeat: (§. cit.) continebit atamen partes nutritioni perficiendæ adcommodatas, cum omnes humores, ac fluida, quotquot in corpore humano dantur, ab eodem secreta dependeant,

§. XXII.

Massa sanguinea, uti quiescens in duas partes sese sponte dividit, exhibet partem rubicundam, concrescenrem ac subsidentem ac partem pellucidam, fluidam, non coloratam, supernatantem; quarum ista *sanguis per eminentiam*, ac hæc *serum* adpellatur. Sanguis hoc sensu sumtus, cum separatis partibus intermixtis serosis, proprie constet, ex partibus sulphureis, terreis, salinisque, consequenter mere solidis *per experientiam chemicam*, in corruptionem pronis, materia nutritibilis reputari nequit, (§. XX.) Serum, cum sanguinem strictè dictum solutum teneat, fluiditatemque ipsi conciliet, in quem finem mera aqua limpida haud sufficeret, alias quidem partes solidas subtiliores, terreas nempe ac sulphureas, intermediis salinis, solutas continet: ea tamen proportione commixtas ac dispositas, ut in statu naturali, fluidum constituent blandum, tenax, plasticum, vix sapidum, fere inodorum, ad ignem ac in alcohole concrescens, albumini oui, quoad omnes qualitates simillimum, de quo, certa experimentorum fide constat, nutriri ac generari, ex eodem, absque alia materia, omnes partes fluidas solidasque pulli, ubi solo vel incubatu, vel decenti adposito caloris gradu, per innumerabiles fluiditatis gradus, ac diversas undas, in summam redactum fuit, subtilitatem. (v. MALPIGIUS *Tr. de ovo incubato*. ANTOINE MAITRE - JEAN. *Observations sur la formation du poulet*.) Serum ergo, tanquam fluidum, omnibus requisitis pro nutritione perficienda instructum, (§. cit.) satis attenuatum, ac admista decenti spirituum copia, per gradus, ad eum tenuitatis gradum euectum, ut vascula nostri corporis, cujus-

cujuslibet ordinis, tenerrima, simplicissimaque transire valeat, nutrimentum verum, proximum corporis humani absoluit.

### §. XXIII.

Quicquid igitur ad elaborandum dictum nutrimentum proximum (§. XXII.) concurrit; id ad nutritionem quoque ipsam suam confert symbolam. At enim vero haud leui opera id perficitur nutrimentum; sed multas mutationes ac preparationes alimenta, in corpus nostrum ingesta, esculenta potulentaque, antea subire debent, quam in naturam nutrimenti hujus, cum corpore nutriendo homogenei conuerti, nutritionemque ex actionibus naturalibus ultimam ac perfectissimam absoluere valeant. Cibi assumendi multi in hunc finem prius, per artem culinariam, coctione, aflatione, condimentorum adjectione, variaque alia ratione eum in finem præparantur, ut aliqualis diuisio fibrarum ac partium minimarum obtineatur. Alimenta vero omnia ingesta, in corpore nutriendo ipso, ab humoribus alibilibus admixtis ac actione viscerum vasorumque non absque multo negotio, in nutrimentum transmutata, nutritionem demum absoluunt, uti ex physiologicis constat. Nutritionem enim præcedere debent:

1. Masticatio ac humoris glandularum saliuarium, faucium, œsophagi, ac tonsillarum, aerisque, in ore cum cibus admixtio; quibus actionibus assumpta solida comminuta, emolliationem, resolutionem ac solutionem, a fluidis nostri corporis, assimilationem hinc cum corpore nostro primam, turgescientiam ac fermentationem experiuntur.

2. Actio ventriculi in ingesta deglutita ac liquoris gastrici commixtio, quibus intumescencia assumptorum, ac solutio partium nostro corpori similium major, miscela fluidorum cum solidis, separatio solutorum & mixtorum, a nondum solutis atque mixtis, ac ulterior fortiorque reliquarum partium resolutio ac solutio, eaque hac ratione elaboratio chymi seu chymificatio perficitur.

3. Bilis

3. Bilis utriusque, & cysticæ, & hepaticæ, succi pancreatici ac lymphæ intestinalis, cum chymo, (n. 2.) ex ventriculo, in intestinum duodenum propulso, miscela; quippe qua non solum solutio ac diluitio viscidorum nimis coherentium, sed & resolutio ac solutio pinguium, horumque, cum aqueis unio ac commixtio: Separatio vero partium irresolubilium, e corpore una cum viscidioribus ac acrioribus bilis partibus, proscribendorum, ac hac ratione chylificatio obtinetur.

4. Chyli in tunica villosa intestinorum tenuium, per oscula innumerabilia secretio ac propulsio, per vasa lactea, primi secundi ac tertii generis, in cystemam lacteam PECQUETIANAM, abhinc per ductum thoracicum, in venam subclavianam sinistram, ejusdemque miscela, tam inrer se, quam cum lymphâ, & in glandulis mesenterii secreta, & ex omnibus partibus abdominis ac thoracis reflua, nec minus cum spiritibus animalibus, per nervos aduectis; unde chyli diluitio, resolutio, solutio ac assimilatio, cum omnibus partibus corporis major ac tanta concipienda, per quam ad promptissimam, cum sero massæ sanguinæ mixturam subeundam, aptus redditur.

5. Chyli denique massæ sanguinæ successivæ adfusi, per actiones vasorum, viscerum, musculorum nostri corporis, ac crebriores circumactiones mutatio in lac sanguinem serum blandum, flavum pellucidumque, lympham, ac fluidum tenuissimum fere nerucum, admista decenti spirituum copia, actionum, nutrimento nostro elaborando dicatarum, sibi invicem subordinatarum, erit ultima ac proxima.

§. XXIV.

Cognitis nunc, & indole ac requisitis materiæ, nutritioni inferuentis proximæ (§. XX, XXI, XXII.) actionibusque ac viribus, quibus in corpore nutriendo ipso præparatur, elaboratur, perficitur; nutritio ipsa paucis erit explananda, exponendo modum, quo restitutio partium fluidarum solidarumque quovis momento amissarum fiat, ac adpositio novarum, pro ad-

D

cretio-

cretionem corporis ac majori eidem robore conciliando, (§. XIX.)  
Quæ utut abstrusa, quo eo melius pateant, sequentia notanda suppono:

1. Fluida nostri corporis peculiaribus vasis solidis circumscripta, motu continuo progressivo circumacta, cum solidis comparata, maximam constituere corporis nostri partem.

2. Proportionem fluidorum respectu solidorum, eo esse auctiorem, quo homo origini suæ proprior, magis vero imminutam, quæ ab ista remotior ac ætas prouectior, imo in ætate consistente, ubi una pars solida ponitur, tres minimum partes fluidorum constitui posse.

3. Nec eandem esse in singulis partibus corporis humani, fluidorum ac solidorum rationem, inter se, sed abundare partes, eo majori fluidorum quantitate, quo majori gaudent molliciti gradu, eo minori, quo firmiori sunt instructæ substantiâ. Docent dicta (n. 1. 2. 3.) ars chemica, exsiccatio, phænomena in atrophicis ac heceticis obuia.

4. Ac cum fluida, minimis partibus solidis interposita, hæc a mutuo contactu remoueant immediato; interim vero fluida partium dispositio mutari queat, absque unionis læsione: partes solidas corporis humani, eo majorem admittere extensionem ac flexibilitatem fibrarum, absque unitatis solutione, quo majori fluidi copia donantur.

5. Partes solidas ergo, non nisi parietes vasorum considerari posse, quorum parietes ex vasis subtilioribus, horumque parietes rursus ex subtilioribus, & sic porro, ad subtilitatem usque incomprehensibilem sunt compositi, ac ultima simplicissimaque demum constituere vasa, quæ ex fibris simplicissimis mere solidis sunt constructa.

6. Vasa eo esse flexibilia ac molliora, quo major series vasculorum varii generis (n. 5.) eorundem ingreditur structuram, eo rigidiora, quo minor est dictorum vasculorum series. (n. 4.)

7. Sic & transire vasa sanguifera majora, sensim decrecente eorundem diametro, in minora, ac tandem in minima capillaria, quæ

quæ unicum tantum globulum sanguineum, ex sex globulis serofis flavis conflatum, una cum fluidis subtilioribus transmittunt.

8. Ex minimis hisce vasis sanguiferis (n. 7.) prodire & in progressu & in lateribus, vascula multo adhuc angustiora, quæ globulos serofos flavescentes (n. 7.) cum fluidis tenuioribus admittunt, rubicundos vero excludunt, *serosa* dicta.

9. Serosa vascula (n. 8.) pari rationi præbere multo adhuc exiliora *Lymphatica*, quæ serum pellucidum seu lympham vehunt exclusis globulis feri flavescentibus.

10. Ex quibus (n. 9.) rursus nasci alia adhuc subtiliora vascula, quæ lympham, fluido nerveo admisto, magis adhuc attenuatam tantum transmittunt, *neuro lymphatica* adpellata; parique ratione per gradus procedere diuisionem vasculorum, per series sensibus haud adsequendas, ad exilitatem nobis infinitam ac incognitam, omnem captum fugientem, ac inter ultima fere reputari posse vascula exhalantia, quæ perspirabile SANCTORIANVM, sub specie vaporis insensibilis excernunt. Dicta (n. 5. ad n. 11.) constant, per experimenta iniectionum RYVSCHIANA ac microscopiorum LOEWENHOEKIANA.

11. Vascula vero nostri corporis, miram diuersitatem non tantum offerre, pro ratione diametrorum suorum, sed & quoad densitatem ac inde determinandam grauitatem specificam spectata *per experientiam*.

12. Nec secerni diuersa fluidorum genera, a vi cordis ac articularum mota ac pressa, pro ratione orificiorum vasculorum solum: sed observari, & in secretionis negotio, & ubi particulæ fluidi cohærent cum partibus solidi, leges adhæssionis HAMBERGERIANAS: (*Elem. physic Cap. III. §. 157. seqq*) per hæc enim constat:

a) Unum idemque corpus fluidum, corporibus specificè grauioribus solidis, diuersæ densitatis, diuersa adhærere vi, fortius scilicet densiori, debilius minus denso,

b) Fluida diuersæ gravitatis specificæ, eidem solido specificæ grauiori, diuersa adhærere vi; ita quidem, ut quo magis densitas seu gravitas fluidi specificæ leuioris, accedit ad grauitatem specificam solidi, eo fortior sit cohæsiō.

c) Fluida, quæ maiorem habent grauitatem specificam, ac solidi particulæ, quæ a fluido proxime continguntur, plane non adhærere solidis.

### §. XXV.

Positis igitur sufficienti seri blandi, lymphatico - spirituosi, tanquam nutrimenti corporis proximi (§. XXII.) quantitate, ac vasorum singulorum ordinum (§. XXIV. n. 7. ad 11.) decenti apertura, intrabunt, pro ratione diametrorum ac densitatis vasculorum (§. cit. n. 7 - 12) fluida diuersa, satis attenuata, specificæ leuiora quidem, & quoque grauiora, leuioribus obducta, maxime vero, quæ cum grauitate specificâ parietum vasculorum, quoad grauitatem coincidunt (§. cit. n. 12. 1. a, b, c.) replebuntur hisce fluidis diuersis vascula omnia minima, cuiusvis seriei, adhærebunt partes specificæ leuioribus ac æquales parietibus vasculorum, ac adponentur partes solidæ, in fluido contentæ, maxime, quoad grauitatem specificam æquales, (§ & n. cit.) quoad figuram interstitio respondentem, ubi locus in parietibus vasculorum, a particulis solidis, minori vi adhærentibus specificæ leuioribus, motu fluidorum progressiuo abreptis, relictus reperiendus. Quodsi igitur tot & talia partium fluidarum solidarumque continuo, ac in omnibus punctis corporis simul ac æquabiliter resarciuntur, quot & qualia ex qualibet classe, fluidorum solidorumque, quouis momento deperditâ fuere: haud magno cum negotio concipi potest, qua ratione corporis, vitæ ac sanitatis status similis conseruari possit.

### §. XXVI.

Præter dictum nutritionis modum (§. XXV.) maximam adhuc meretur contemplationem, nutritio in adcretionem partium soli-



solidarum, ac ea, qua robur fibrarum majora capit augmenta. (§. XIX. XXIV.) Ea enim est corporis nostri conditio, ut a primo ortu, ad annum usque XXIV. circiter incrementa sumat, homo, ab hoc, ad annum circiter L. vel LX. in eodem persistat statu, ac robur fibrarum augeatur, reliqua vero ætate decrescar. Quæ phænomena, ut perspicere valeamus, ad æquilibrium fluida ac solida, quod intercedit, ut attendamus necesse est; ac cum fluida nostri corporis, in vasis, & majoribus & minoribus contenta, in motum acta pellantur, a vi cordis ac arteriarum, horumque impulsui resistent, parietes, per cohæsiõnem fibrarum qua gaudent, tam arteriarum, quam vasculorum tenerrimorum ac invisibilium: vis fluidorum erit vel major, vel æqualis, vel minor cohæsiõne fibrarum ultimarum, ex quibus vasa sunt constructa.

§. XXVII.

Si vim impellentem fluidorum, a vi cordis ac arteriarum impressam, majorem ponimus vi resistente fibrarum minimarum ex cohæsiõne, (§. XXVI.) qui est corporis humani status, a primo ortu, ad absolutum usque ejusdem incrementum: extenduntur fibræ ac vasa ex his constructa, pro ratione differentia virium, sibi invicem oppositarum. Hinc cum quantitas fluidorum, eo sit auctior, quo homo origini suæ propior, eo vero minor, quo est ab ista remotior: (§. XXIV. n. 2.) fiet quoque extensio fibrarum, pro ratione quantitatis fluidorum interpositorum diuersa. Quæ cum separationem partium minimarum fibrarum a mutuo contactu inferat; non possunt non interstitia capaciora, inter particulas fibrarum solidas exsurgere, in quæ materia nutritibilis, decenter præparata ac attenuata, (§. XXII.) tam ex adhæsiõne, (§. XXIV. n. 11. 12.) quam fluidi subsequenti pressione, penetrare possit. Et intrare quidem valent, in hæc interstitia, singulæ particulæ solidorum, in fluido contentorum & specificè leuiores, & æquales, (§. XXIV. n. 12. si satis fuerint subtiles; ea tamen conditione ut particulæ

D 3

leuior.

leuiores facile rursus, a præterlabente, cum motu, fluido, abripiantur, itemque expellantur, quando fibræ, ob euacuata per excretionem vasa, seu ex alia causa se contrahunt: particulæ vero æquales, quarum vis ex adhæsiōe æqualis est, vi contractili fibrarum, vix separari possint, sed in partes constituentes fibræ tendant ac transeant, unde numerus punctorum contactus, ac cohæsiō roburque fibrarum, ut sensim augeantur necesse est, Quod, ubi tantum redditum est, ut fibræ se extendi haud amplius patiantur, secundum longitudinem; impetus fluidorum pteslorum tendit, majori vi, in latera fibrarum vasorumque, eademque extendit, & sic incremento secundum longitudinem cessante, augmentum crassitie succedit.

### §. XXVIII.

Magnitudo totius corporis ac robur fibrarum quando in tantum augmentum euecta, ut vis ex cohæsiōe resistens fere fiat æqualis, impulsui fluidi naturali, id quod ordinarie circa annum ætatis xxiv. fieri, experientia docet: partes corporis non amplius extenduntur, sed nutritio, iu repletionem tantum vasorum omnium decenti, per materiam nutritibilem probe constitutam (§. xxii.) consistit, dictoque peragitur modo. (§. xxv.) Licet vero fibræ ac vasa minima ulteriorem in hoc statu haud sustineant extensionem: fibræ tamen majus robur acquirere pergunt, dum partes fluidæ specificè leuiores, partibus solidis fibrarum interpositæ ac vasculis in quibus fit nutritio, contentæ a vasculis sensim minoribus, ex prioribus natis (§. xxiv. n. 8. 9. 10.) absorbentur, ac specificè æquales, ad maiorem cum parietibus vasis contactum delatæ, majori vi, ex adhæsiōe, in interstitia partium solidarum fibrarum penetrant, partesque specificè leuiores fluidas, in locum solidarum positas, minus cohærentes cedere ac in vasa redire cogunt, ipsæ vero horum locum occupantes, veram solidi partem constituunt.

### §. XXIX.

Robur seu cohæsiō fibrarum maiora capere pergunt augmenta,

fi

si per motus ac actiones musculosas frequentiores ac fortiores, sanguis ac humores paulo crassiores, in vasis maioribus contenti, satis repletis, sæpius expanduntur: vasa vero, horum parietes constituenta minora cuiusvis generis (§. xxiv. n. 5.) ab expansione maiorum comprimuntur ac fluidum nutriens, in ipsis contentum exprimitur; ita enim parietes vasculorum subtilium ac subtilissimorum nutrientium (§. cit.) ad mutuuum ac immediatum perducti contactum tanto citius cohærent, quanto plus fluidi illis in erat visceri. Sic ex congerie fibrarum vascula componentium fibræ fiunt solidæ integræ, quorum robur quidem insigniter increfcit; ast cum & cavitates oblitteratæ influxum fluidorum ac spirituum excludant, & fibræ ipsæ robustiores minus flectantur a motu fluidorum, nec extendantur ac expansæ ad contractionem concitentur; ut & vis physica elastica ac vitalis ex influxu spirituum, imminuantur ac cessent necesse est, idque eo magis, quo maior vasculorum, vasa maiora constituentium numerus, cauis priuatus, in fibras mere solidas transit. Quod si fiat in multis locis simul, pari ratione vasa maiora tandem cessant esse elastica ac ad contractionem extensionemque disposita, absque qua conditione circulatio sanguinis subsistere nequit. Sic ipsa nutritio continuata primo coactum vasorum minimorum, hinc coarctationem & decrementum totius corporis, deinde successu temporis mortem senilem, in ipsa corporis structura hærentem mechanica infert.

### §. XXX.

Enumerata hucusque (§. XIX-XXX.) per suas causas, historia nutritionis, in statu naturali sano ac pro ratione ætatum spectatæ, perspectisque requisitis singulis, ad actionem hanc absolvendam necessariis (§. xxiii.) haud ardua res erit determinare, quæ obliunt nutritionis negotio, in statu morbofo præternaturali. Ex defectu enim nutritionis requisitorum, sibi inuicem subordinatorum, uno vel altero, vi oppositorum, defectus, in

in nutritione ipsa, ut occurrat, immediate sequitur. Ubi ergo

1. Alimenta esculenta potulentaque haud sufficienti quantitate ac decenti tempore capiuntur, vel cruda, nec satis praeparata, quæ a viribus corporis assumendis in nutrimentum mutari possint, ingeruntur. (§. XIX. XX. XXIII.)

2. Ingesta solida masticatione non sufficienter comminuuntur, nec decenti copia humoris salivialis blandi saponacei laudabilis commiscentur. (§. XXIII. n. 1.)

3. Deglutita, per actionem ventriculi ac admistum menstruum ventriculi, vel deficiens, vel iners, non satis digeruntur ac in chymum mutantur. (§. cit. n. 2.)

4. Decens bilis, succi pancreatici ac lymphæ intestinalis, probatæ constitutionis, quantitas, digestis, ex ventriculo in intestinum duodenum propulsis haud adfunditur, nec chymus, in chylum bonæ notæ commutatur, excrementis foras proscriptis. (§. cit. n. 3.)

5. Chylus ab osculis vasorum lacteorum in tunica villosa non sufficienti quantitate secernitur, nec in vasa lactea propulsus, a lymphâ mesenterii, ac per propria vasa lymphatica advecta, spiritibusque admistis decenter diluitur ac soluitur (§. cit. n. 4.)

6. Chylus sanguini adfusus cacochymico, in sanguinem bonum ac serum blandum (§. XXII.) lymphamque gelatinosam non mutatur, nec admista sufficienti spiritum quantitate in vas minimis satis attenuatur; (§. cit. n. 5.)

7. Materia seroso lymphatica spirituosa nutritibilis, in omnia ac minima vasa ac puncta corporis, æquabiliter ac continuo non distribuitur, nec decens ubiuis est apertura vasculorum omnium ordinum, in quæ materia hæc penetrare possit; (§. XXIV. XXV.) ut actio nutritionis ipsa, quæ omnia dicta (n. 1 7.) bene se habuisse supponit, deprævetur necessarium est consequens,

§. XXXI.

Cum fetus alimentum suum ex sanguine materno capiat, per arterias umbilicales aduecto, serum nutritioni inseruiens, (§. xxii) jamdum continente, in ipsis vasis visceribusque fetus nutriendi, vltterius perficiendum, in nutrimentum singulis partibus adequatum, conuerdendum, in omnia puncta æquabiliter distribuendum, debitoque suo loco aplicandum: hinc patet, nutritionem & adcretionem fetus lædi ac impediri, quando sanguis maternus, vel iusto minori quantitate, vel decenti quidem ac sufficienti copia, aut cacochymica labe inquinatur, cum fetu communicatur, adpelliturque vel ob structuram corporis iusto teneriorem seu quocumque modo vitiatam, sanguis maternus, per vasa visceraque fetus decenter circumagendus, in nutrimentum, corpori nutriendo adcommodatam, permutari nequit. In quouis casu nutritio fetus deprauata succedat, necesse est, maxime vero ubi omnes simul concurrunt causæ.

§. XXXII.

Quæ de nutritione & adcretionem corporis humani generatim exposita fuere, & ad ossa speciatim poterunt aplicari, quando cogitamus:

1. Ossa, tanquam partes corporis humani duriores, rigidiores ac grauiiores, reliquis omnibus partibus, minima omnium gaudere fluidorum ac vasculorum varii ordinis ac seriei, quantitate (§. xxiv. n. 34.)

2. Constat hinc, quoad substantiam ipsis propriam, ex elementis terreis (§. xv.) intermedio fluido aquoso, maxime pingui (§. xviii.) in fibras minimas simplices coadunatis, a fibris reliquarum partium vix diuersis, (§. xii. n. 1. 12.) quæ cum sui similibus tubulos efformant angustissimos, ac ex tubulis situ parallelo coniunctis componi membranulas seu laminas exterius ac in medio ossis integras ac planas, interius ac versus extremitates corrugatas, reticulatas ac in spongiam intricatas (§. xv. n. 2.

E

ad

ad VIII.) adeoque ossis substantiam referre congeriem membranarum lamellarum ac squamularum, tubulorum ac fibrarum ossearum, (§. cit. n. 1. 2. 3.) inter quæ interstitia remanent variaz figuræ & amplitudines. (§. cit. n. 9. ad 12.)

3. Materiam nutrientem seu succum ita dictum osseum, qui & in tubulis osseis vehitur, & in interstitia inter fibras lamellasque osseas se insinuat ac effundit, ejus esse indolis, ut ex fluido viscoso, per gradus innumerabiles in gypseam fere ac solidissimam abeat materiam. (v. MALPICIUS *Op: posthum.* p. 50. GALIARDI *Anatom. ossium* (1. Obs. 1.)

### §. XXXIII.

Nutritio igitur ossium (§. XXV.) dicto modo fiet quando sufficiens sanguinis, decenter in corpore ipso preparati quantitas per fasa sanguifera ossium (§. XVII.) maxime periosteï (§. XIV.) substantiæ osseæ in omnibus punctis infunditur simul, ex sanguine adpulso pars serosa nutriens, spiritibus admistis decenter attenuata (§. XXII.) ejusdemque quidem pars crassior, terrea, quoad gravitatem specificam partibus osseis æqualis (§. XXIV. n. 11. 12. l. b.) seu succus ita dictus osseus, (§. XXXII. n. 3.) in tubulos osseos ac interualla inania, inter fibras ac lamellas derelicta secedit ac effunditur: (§. cit n. 2.) partes vero leuiores, grauioribus interpositæ, ab osculis venularum resorbentur, ac una cum sanguine, nutritioni vel minus conveniente vel redundante reuehuntur. Succus osseus, in tubulos osseos ac interualla inter fibras lamellasque osseas, ex sanguine secedens, segregatis partibus specificè leuioribus interpositis, partibusque terrestribus grauioribus propius cœuntibus ac compactis, ad maiorem sensim euectus viscositatem, eum lateribus tubulorum; fibrarum ac lamellarum ossearum, eo majori vi cohæret, quo propius eum grauitate specifica harum partium coincidit, (§. XXIV. n. 12. l. b.) obducit ac incrustat partes solidas osseas, replet interualla inania, inter fibras lamellasque in longitudinem porrecta ac paralella ossium fibris, ac hac ratione auget mutuum partium

tium

tium solidarum contactum ac cohaesionem. Quæ ubi succus osseus, per indolem, qua instructus deprehenditur (§. XXXII. n. 3.) ex fluido viscoso, per gradus innumerabiles, in naturam plane solidam fere gypseam transit, tanta redditur, quæ tactui non cedant (§. III.) eaque hac ratione ossibus durities sensim major conciliatur. Nec vero interualla inania, inter fibras lamellasque osseas solum, dicto modo oblitterantur, sed & tubuli ossei, intermedio succo osseo in naturam solidam coagulato, sensim magis magisque, cum proejectiori ætate concresecunt, unde durities ossibus maior, simul vero rigiditas ac fragilitas præceps infertur. Incrementum ossium, præter leges adcretionis generaliores (§. XXVII.) expositas, haud parum debet, vi musculorum ac tendinum, substantiæ ossium insertorum, contractoriæ, qua partes ossium, extensionem admittentes diducuntur, ac a se inuicem secedentes, locum relinquunt, in quem succus osseus majori copia effundi ac interponi possit. Ac cum ossa fulcri loco defendendis stabiliendisque partibus corporis humani molioribus, a summo OPIFICE sint destinata: ratio inde patet, quare citius, ad duritiem, in hunc finem requisitam, perducere debeant. At enim vero ossa, ut duritie non obstante, ad legitimum incrementi fastigium perducere possint: necessarium erat, eadem ex pluribus frustis, intermedia cartilagine seu membrana disjunctis fuisse constructa, ac donata molliori substantia cartilaginea in extremitatibus. (§. XII. n. 6. 7. 8.) Sic enim singulis partibus minoribus ossium simul extensis, inprimis extremitatibus, ossa notabiliter poterant elongari, eorumque moles vniuersa augeri, aucto simul firmitatis gradu. Qui cohaesionis ac duritiei gradus quodsi modo explicata ratione, eo tandem delatus fuerit, ut ossa extensionem, a vi fluidorum ac tendinum implantatorum, ulteriorem haud sustineant: cessat eorundem incrementum ac terminus simul ponitur, incremento uniuersis corporis humani secundum longitudinem. Tunc ossa in uno eodemque persistunt statu, quando tanta nutrimenti ossium quantitas

titas probe constituti, una cum materia medullosa pingui (§. XVIII.) ossium continuo infunditur substantiæ, quanta per motum fluidorum consumpta fuit: decrementum vero capiunt, ubi concretis tubulis osseis, fere singulis, vasculisque sanguiferis, ossium substantiæ se emmergentibus plurimis, pori ossium magis magisque coarctantur, ac cartilaginee, & ossium adhærentes extremis, & ipsis interpositæ in ossiam abeunt naturam ac ossa antea disiuncta conferruminantur.

## §. XXXIV.

Cum sanguis decenter constitutus ossibus nutrimentum largiatur ac alimentum in nutrimentum conuertendum fetui per sanguinem maternum infundatur, ea, quæ de nutritione fetus deprauata (§. xxxi.) generatim dicta, & de ossibus valebunt, Ubi ergo sanguis, vel iusto minori quantitate, vel decenti ac sufficienti quantitate quidem, ast cacochoymicus fetui offertur, vel ob debilitatem fetus, ac structuram ejus quocunque modo labefactatam ac vitiatam ossium, in nutrimentum adequatum transmutari ossibusque applicari nequit, nutritio ipsa ossium, ut deprauetur ac impediatur adcretio, necesse est.

## §. XXXV.

Sufficiant pro scopo mihi præfixo dicta de structura ossium interna ac nutritione incrementoque corporis humani ac ossium. (§. XIV. ad XXXIV.) Reliquum est, ut enumeremus constitutionem substantiæ ossium in fetu, pro ratione ætatis ac in singulis mensibus diuersam, inuestigaturi characterem, ætati fetus determinandæ inseruientem, inde desumendum (§. XIII.) Ante vero quam id fiat, duo erunt notanda: primo admittere quandam latitudinem calculum quando constitutio ossium fetus, per sua temporum interualla, menses nempe nouem, quibus fetus in utero delitescit, definienda ac describenda, quia temporum spacia, non adeo accurate possunt determinari; secundo describi ossa fetus, pro ratione mensium singulorum, prout constituta.



stituta sunt in statu naturali ac secundum cursum naturæ ordinarium. Nutritionem enim ossium depravatam impedimenta ponere decenti incremento eorundem, intra tempus determinatum in statu naturali sano, absoluendo, ex modo dictis (§. XXXIV.) clare elucescit, nec dari, in corporis humani conformatione legem adeo stabilem, a qua natura interdum non aberret, quotidiana loquitur experientia.

§. XXXVI.

Homo rerum creatarum in nostra tellure, omnium nobilissima, rationis capax, ovulo suo inclusus, molem seminis papaveris vix excedens, primus a conceptu diebus adeo tenera gaudet corporis substantia ut instar mucii diffunderet ac in massam collaberetur informem, nisi ab aequali fluidi ambientis pressione sustineretur. Tunc temporis, ubi præter capitis a reliquo corpore distinctionem, neque organorum sensum, neque membrorum conspicua adparet delineatio, rudimentorum, ossium constitutionem sensibus adsequi haud licet. Ast humuncio, ubi celeri passu, in dupla fere proportione, intra exigium temporis spacium, ac eo citius in crementa capit, quo origini suæ est propior, ad tertiam ætatis accedens septimanam non solum organa sensuum in capite & artus in reliquo corpore, sed & rudimenta ossium omnium membranulis delineata exhibet, quæ in cartilagineas tenuissimas, a carne & cute clare distinguendas, abhinc ex punctis uno vel aliquot, in naturam ossium pedenterim ac insensibili fere ratione transeunt. Et fetus quidem mensem unum adsecutus, sceleton jamdum offert, ex parte cartilagineum ex parte membranaceum cujus partes haud paucas punctis ossificationis hinc inde notatas cernere licet. Cranium nempe refert membranam inflatam; reliqua tota capitis moles est cartilaginea, ac maxilla, tam superior, quam inferior puncta hinc inde præ se fert ossia; Claviculæ formatæ sunt fere totæ ossiæ: costæ omnes cartilagineæ, punctulis suis ossibus distinctæ, prima excepta & ultima, quæ nil ostendunt ossium; scapulæ cartilagineæ puncta ossificationis exhibent; in humero, cubito, radio femore tibia

ac fibula horumque parte fere media, lineæ adparent offeam designantes substantiam inceptam, extrema versus progredientem spina dorsi, ossa innominata, manus pedesque extremi vero, quoad uniuersam ambitum, cartilagineum ostendunt habitum. (v. *Anthropogeniam* RVISCHIANAM in *thesauris* traditam. KERCKRING. *antropogeniæ Ichnographiæ* Cap. II. IV. V. c. Fig. II. IV. V.

### §. XXXVII.

In fœtu ad ætatem duorum mensium euectò, ac quoad magnitudinem vniversi corporis insigniter aucto, puncta ossæa, de quibus (§. XXXVII.) mentio facta, latiore occupant ambitum, pluraque ac noua in conspectum prodeunt, ossæam substantiam inceptam designantia, aut partes ossibus performandis destinatæ maximam partem adhuc constant, ex membranis ac cartilaginibus. In capite, quoad uniuersam fere molem, vel cartilagineo, vel membranaceo, par tertiam maxillæ superioris, seu ossa ita dicta maxillaria, ossificationis rude tantum præbent principium: (KERCKRING. *Osteog.* fetus pag. 232.) maxilla inferior vero circa sextam septimanam, in sex ossicula diuidua, (KERCKRING *antropogeniæ ichnographiæ* Cap. V. fig. VI.) nunc fere tota ossæa, ex quatuor composita adparet frustis ossæis, duobus scilicet maioribus, quæ in medio menti, cartilagine distincta, coniunguntur, ac duobus minoribus coronoideis, quæ intermedia membrana transparente separata, apophyses tandem constituunt. (KERCKRING *Osteogen.* p. 234. 235.) Spina dorsiossa innomita præter punctum ossificatum, circa acetabulum in parte in os ilii commutanda ac sternum tota sunt cartilaginea. (KERCKRING l. c. p. 238. 245. 248.) Ast clauiculæ sexta a conceptione septimana, totæ quantæ sunt jamdum in os mutatæ, quoad formam, figuramque perfectæ, ac crassiores omnibus reliquis artuum ossibus adparent; (KERCKRING l. c. p. 251.) itemque costæ præter summam ac infimam omnes ossæam induere naturam, colorem firmitatemque perfectam: in extremitatibus diucartilagineis attamen nulla prorsus adparet articula-

culatio, quacum spina dorsi jungerentur. (KERKRING l. c. p. 246.) Scapulæ cartilagineam referunt rotundam, puncto albo, ossificationis principio medio notatam, quæ sine ullo distinctionis ac articulationis indicio in partem angustiolem definit longiusculam, albam lineam in medio ostentantem, quæ postea in os humeri, a scapula distinctum efformatur. (KERCKRING. l. c. p. 251. 254.) Nec dum quoque tum ab humero cubitus ac radius, neque a femore tibia ac fibula, vel articulatione, vel separatione per medium distinguuntur, sed unam continuam referunt cartilagineam, in quibus linea in parte media, albidæ ossificationem inceptam notant. Carpus, tarsus, metacarpus, metatarsus digitorumque phalanges, una sunt cartilago, quinque fariam in totidem digitos fissa, in quorum hinc inde extremitatibus punctula ossea adparent. (KERCKRING l. c. p. 254. 257.) Figuram sceleti fetus duorum mensium vid. l. c. Tab. XXXII)

### §. XXXVIII.

Fetus superato mense secundo, uti augmenta capere pergit secundum longitudinem insigna: ita &, ubi ætatem trium mensium attingit, quantitatem ossificationis, pro ratione temporis notabiliter auctam exhibet contemplandam; licet partes, quæ ossium expectant duritiem, maxima ex parte jam tum consent ex cartilaginibus. Tota enim capitis capacitas maximam partem adhuc est cartilaginea, ac in osse frontis tantum, supra oculorum orbitam, quasi per nebulam adparent puncta quædam diuersorum ossium in ea formandorum centra, ac supra hanc orbitam se prodit semircularis quædam ossea substantia, quæ se extendit per circumferentiam ad os sincipitis, medium relinquens cartilagineum. (KERCKRING. *Osteog.* p. 215. 216.) Ossa sincipitis nil ostendunt, nisi puncta quædam subobscura osseæ naturæ. (KERCKRING. l. c. p. 217.) Os occipitis, quod in fetibus ex quatuor constat frustis distinctis, eadem hæc frusta magna ex parte jam dum ossea distinguenda offert; & magnum quidem ejusdem os triangulare, hoc mense sæpe ex quatuor;

sæpius ex tribus; aliquando duobus; aut unico tantum  
 efformatum est ossibus, quæ post exactum hunc mensem  
 omnia in unum coalescunt. (KERCKRING. l. c. p. 219.) In ossi-  
 bus temporum processus jugalis, cum processu jugalis ossis seu  
 Zygomatici maxillæ superioris, constituit os jugale totum osseum;  
 in reliqua vero ossium temporum cartilagine præter circulum, in  
 osse petroso, instar fili tenuis osseum, nil adparet, quod ossis  
 naturam induerit. (KERCKRING. l. c. p. 220.) Os sphenoi-  
 des, antea totum cartilagineum, nunc exiguum quid osseum,  
 infra os zygomaticum exhibet, in parte alarum, quæ processus  
 pterygoidei dicuntur, ac hinc ex duobus in hoc mense constat  
 ossibus. (KERCKRING. l. c. p. 226.) In maxilla superiori id  
 primi paris jugalis, quod ad zygoma constituendum, cum pro-  
 cessu transverso ossis temporum concurrat, jam est osseum; a-  
 liquid etiam, in oculi orbita, in eodem pari conspicitur, quod  
 jam ossi ficari videtur. Par tertium maxillare, sæpe constans, ex  
 aliquot frustulis, cito confluentibus in os unum (III ALBINVS  
 Osteogen. p. 36.) totum, quantum est, osseum est. Quintum  
 par nasale subtilissimam ostendit lineam osseam ac Vomer ossifi-  
 cari incipit, ea parte, qua sphenoidi conjungitur. (KERCK-  
 RING. l. c. p. 232. 233.) Maxilla inferior, postquam ossa  
 coronoidea, cum osse principali coaluere, nunc ex duobus tan-  
 tum constat ossibus, in medio menti disiunctis (KERCKRING.  
 l. c. p. 239.) Vertebrae antea cartilagineæ, quæ tribus in locis  
 exceptis duabus superioribus, inchoant ossificationem, in cor-  
 pore scilicet ac ad utrumque latus foraminis magni, (ALBINVS  
 l. c. p. 53.) tertio hoc mense interius infexta dorsi vertebra no-  
 tabile ossificationis punctum exhibent, quod inde versus caput  
 paulatim minuendo, usque ad quintam colli vertebra[m] adscen-  
 dit, ab eademque sexta dorsi vertebra inferius in eadem pro-  
 portione decrescendo, ad tertiam ossis sacri vertebra[m] descendit.  
 In externis vero tum duabus vertebrarum partibus lateralibus,  
 in summa colli vertebra maxima ossificationis vestigia occur-  
 runt,

runt, quæ ab hac descendendo perpetuo minuuntur, & antequam ad os sacrum perueniunt, in puncto terminantur, oculis vix perceptibili; osse sacro ab hac parte omnino cartilaginoso. Tertio igitur hoc mense quatuor superiores colli vertebræ duobus tantum constant ossiculis, & eo osse quod corpus vocamus carent, ossis sacri autem tres superiores vertebræ, uno constant osse, corpore scilicet; quia partes laterales, nil adhuc induerunt ossæ substantiæ; reliquæ omnes vertebræ tria ossæ sistunt puncta, & in corpore, & in partibus lateralibus obuia. (KERCKRING. I. c. p. 239 242.) In osse nominato, speciatim osse ilii, punctum osseum formam semilunarem, sua circumdatam cartilagine exhibet satis perfecte; at duo ossa socia, sub sua delitefcunt cartilagine, nec quicquam præ se ferunt osseum. (KERCKRING. I. c. p. 245.) Summa costa, antea adhuc cartilaginea nunc tota ossæ est, nec ulli & latitudine & soliditate cedit costarum reliquarum. Ima costa jam etiam exiguum ossificationis suæ dat signum. (KERCKRING. I. c. p. 247.) Sternum totum adhuc est cartilagineum, ac ex tribus partibus cartilagineis constat iisdem quæ in adulto ossæ sunt, interdum cartilagine una continua. (KERCKRING. I. c. p. 248. ALBINVS I. c. p. 75. Scapulæ jam formam suam habent, partemque latam, una cum spina, ita perfecte ossæam, ut exigua cartilagine circumdetur superius, processus autem superior, in summo humero, uti & coracoides & cervix adhuc toti sunt cartilaginei, & basis plus media sui parte cartilaginea est. (KERCKRING. I. c. p. 251.) Artuum superiorum & inferiorum cartilago, ut adparuit, unica, ostendit aliquam sibi impressam articulationem, ac cubitus radiusque, itemque tibia ac fibula tantam discessionem fecerunt ab se inuicem, ut quodque sua distinguatur superficie: pars vero in media longitudine incipiens ossæ, extrema versus latior occupat ambitum, manentibus utriusque extremis cartilagineis. In carpo se produnt puncta quædam subrubra, centra

F

ossifi-

ossificationis indicantia; at ossa tarsi, uti & carpi fetus diu tota cartilaginea sunt. Metacarpus ac digitorum ordo primus & secundus, quorum ossa, in media longitudine primum granulum osseum efformant, jam tum ostentant distincta sua ossicula in longitudinem extensa. Metatarsus c. digitorum ordinibus, serius ac in manibus fit, ossificationem inchoant, eoque hoc mense adeo obscure incipit, ut cerni non possit, quid osseam inducit, vel quid cartilagineam exuerit substantiam. ALBINVS l. c. 103 ad 108, 115-142. KERCKRING l. c. d. 255, 257. Figuram sceleti trium mensium vid, l. c. Tab. XXXIII.

### §. XXXIX.

In fetu quatuor mensium partes osseæ non solum in lationem excurrunt ambitum, sed & nonnullæ in conspectum prodeunt partes cartilagineæ, in quibus ossificatio inchoata deprehenditur. In osse frontis puncta ossea in orbita oculorum nunc adparent clarius, ac ipsum jam maximam partem in os formatum est, remanente paulo infra medio in centro cartilagine notabili. Ossificatio enim accrescit os sincipitis versus, seque extendit, fontanellam versus, quæ adhuc magnam cranii partem occupat, interjecta junctura quadam harmonica, supra nasum ad fontanellam laxiori, ossa frontis disiungente, quorum utramque partem, in abortu juniore diuisam in tres inuenit. Ill. ALBINVS (Osteogen. p. 10. KERCKRING Osteogen. p. 216.) Ossa sincipitis antea instar membranæ cartilagineæ tenuia, quarto mense exacto jam sunt tota ossea, initio ossificationis ducto a medio ad circumferentiam, lamella parua tenuissima in fila paulo crassiora excurrente, relictis ad sagittalem suturam, fontanellam, ossa sphenoides ac temporum aperturis amplis cartilagineis seu membranaceis. (KERCKRING. l. c. p. 217. ALBINVS l. c. p. 6.) Ossium occipitis partes substantiam osseam latius extendere pergunt, ac post co-

litio.

litionem perfectam magni ossis triangularis, huic succrescere incipit novum ossiculum tricuspitale, quod tangit una cuspidem os triangulare, duas alias extendit coronas ossis occipitis versus, Quod infra coronas est ossiculum etiam tricuspitaliter crescit, cuspidum duarum singulis singulas coronas & tertia os sphenoides petens, ac inter hæc ossa, magnum os occipitale excurrit. (KERCKRING. l. c. p. 219.) In ossibus temporum os squamosum magnam partem factum est osseum, at os petrosum nihil præ se fert osseum, præterquam unam in longitudinem protensam crassiusculam ac inæqualem lineam annulo antea nominato subjectam; ut adeo ossa temporum hoc mense tribus consent ossibus. (KERCKRING. l. c. p. 222.) Os sphenoides nunc ossibus octo seu quatuor paribus constat; primum sunt processus pterygoidei, qui mirum in modum aucti; secundum processus bini, qui par palatinum maxillæ superioris tangentes, inter jacente vomere ab invicem separantur, tertium, sunt ossa bina sellam equinam constitutura, cito in semilunulam conjuncta; quartum par processus sunt, visoribus nervis recipiendis destinati. (KERCKRING. l. c. p. 226. 227.) In maxilla superiori, par jugale totum est osseum, ac magno ab osse frontis distat hiatu; secundum lacrymale jam quasi in dubia luce adparet; maxillare penitus osseum, nondum ad figuram adultorum accedit; par nasale formam ac proportionem exhibet, non eandem tam enim omnibus; par palatinum etiam nunc suam habet formam, & proportionis magnitudinem. (KERCKRING. l. c. p. 233) In spina dorsi tertia & quarta colli vertebra jam corpore gaudent, atlante & epistropheo adhuc eodem carentibus, ac ossis sacri partes laterales usque ad coccygem osseam continent substantiam (KERCKRING. l. c. p. 243.) Præter tria hæc vertebrarum ossis sacri primordia, similia illis reliquarum vertebrarum, duo adhuc ossificationis principia in tribus primis sacri vertebris, harumque quidem priore parte partium lateralium, quæ processus

cessus transuersi dici possunt, obseruauit III. ALBINVS. (l. c. p. 57.) Osis innominati os coxendicis nunc profert caput album circa acetabulum, osseum. (KERCKRING. l. c. p. 245.) Costæ a quarto ad nonum usque mensẽ, alia re non variant, quam magnitudine ac soliditate, capitulis, quibus uniendæ cum vertebris, ad ipsam usque natiuitatem manentibus cartilagineis, sine ullis ossificationis indiciis itemque sternum totum adhuc est cartilagineum (KERCKRING. l. c. p. 247. 248.) In scapula, basis jam fere tota ossificata cingitur tantum angusto limbo cartilagineo, ac ceruix media ossea est. (KERCKRING. l. c. p. 252.) In artubus & superioribus & inferioribus, ea ossificari perguat, quæ inchoata fuerunt. In tarso ac metatarso puncta dubia, ossificationis varia centra mirum in modum aucta adparent. In digitis pedis, secus ac in manibus, singulorum articuli inferiores, jam punctis distinguuntur, sicut & summi mediis adhuc nihil ossei præ se ferentibus. Patella adparet ac diu manet tota cartilaginea. (KERCKRING. l. c. p. 255. 258.) Figuram sceleti quatuor mensium vid. l. c. Tab. XXXIV.

### §. XL.

In fetu quinque mensium, uti osium magnitudo ac numerus insigniter auctus: ita cartilaginum quantitas valde imminuta est in eodemque sequentia notanda occurrunt speciatim: In osse frontis orbita oculorum jam tota est ossea, ossificationeque ad crescente, decrescit & cartilaginofitas centralis, & fontanella; parique ratione in osse sincipitis ac accipitis futuræ paulatim arctantur. (KERCKRING. Osteogen. p. 216. 217.) In ossibus temporum, magis in æqualibus ac scabrosis in fetu, quam in adultis, os squamosum, ita adauctum est, ut os sincipitis fere, os autem cuneiforme omnino attingat. Osis petrosi pars illa, quæ proceßum mamillarem constituit, terna de nouo acquisiuit ossicula, unum pyri forma, acutiore sui parte squamoso adne-

XUM



xum, alterum scutum ouale referens, media cartilagine ab eo ac tertium minimum, ab utroque separatum. Labyrinthus ac cochlea, una cum tympano ac ossibus auditus subito efformata, non solum ossia sua substantia, sed & magnitudine ac figuræ symmetria perfectioni suæ sunt proxima; & auditus ossicula quidem, jam cavitatem suam nacta, antea cartilaginea, nunc tota fere ossium assumsere naturam; in malleo processus, quocum membrana tympani adhæret, ac in incude, nil nisi processus finalis sunt cartilaginei, stapedisque basis & vtrumque crus ossia sunt. Præter dicta hæc ossicula igitur, os temporum hoc quinto mense sex distinctis constat ossiculis osse videlicet squamoso, annulo, osse internam cavitatem efformante, & tribus notabilibus, quæ hoc mense exorta sunt. (KERCKRING. l. c. p. 222. seqq.) Os sphenoides modo ossifariam diuisam, jam nunc ex uno constat osse, cum cartilaginea linea, inter processus pterygoideos ac ossia, tellam equinam constituentia, ossibus undique clausa sit. In osse ethmoideo, quod antea mera fuit cartilago, spongiosa septo narium utrinque adhærentia ossicula adparent. (KERCKRING. l. c. p. 227. 231.) In maxilla & superiori & inferiori ossificatio augeri pergit, ut & in vertebris, ac os sacrum jam omnia habet ossificationis puncta; epistropheus item corpus habet ossium, sed processus ejus dentiformis adhuc est cartilago, ac atlas antè adhuc corpore caret. (KERCKRING. l. c. p. 233. 243.) In osse innominato, os coxendicis insignitet est auctum, os ilii, jam perfecte formam suam notabili magnitudine ostendat, ac os pubis circa acetabulum caput album ossificationis principium commonstrat. (KERCKRING. l. c. p. 245.) In sterno cartilagineo, post mensem quartam diuersa adparent ossicula, quorum numerus ad natiuitatem usque & ultra est incertus, nec in magnitudine ordine ac situ ista seruant legem constantem. In cartilagine sterni superiori plerumque primum granula ossia, modo unum, modo tria diuersæ & magnitudinis &

figuræ & in vario situ ossificationis primordia præbent; in cartilagine media os plerumque incipit, in unoquoque interualla duarum quarumque ad eam ab utroque latere pertinentium castarum, id est, inter extrema costarum secundarum & tertiaram, tertiaram & quartarum, quartarum & quintarum, quintarum & sextarum, sed varietate magna, modo granulo uno, modo duobus, modo tribus, varie positis. Reliqua inferiori sterna pars, una cum cartilagine mucronata, tunc est ac diu manet cartilaginea. (Ill. ALBINVS Osteogen. p. 80. seqq.) In scapula, ejusdemque basi quidem, limbus cartilaginofus angustior, postea paulatim minuitur, ac inferius, ubi in acumen desinit ferius acquirit firmitatem ossæam. Processus gemini sunt magnam partem, ad nonum usque mensem cartilaginei, uti acetabulum & ei insertum capitulum. (KERCKRING. l. c. p. 252.) In artubus & superioribus & inferioribus ossificatio inchoata, ulterius perficitur, ac in hisce primus a pollice digitus jam gaudet puncto, articuli medii. (KERCKRING. l. c. p. 258. 259.) Figuram sceleti fetus quinquemestris vid. l. c. Tab. XXXV.

## §. XLI.

In fetu sex mensium ossificatio insignia capere pergit augmenta, speciatim in osse frontis, occipitis sincipitis, maxilla superiore ac inferiore, spina dorsi, osse innominato, costis, scapulis, artubusque, & superioribus & inferioribus. In osse temporum hoc mense ossiculum pyriforme, ac ouale scuti forme coaluere in unum, ac tertium non nihil auctum est magnitudine; Stapes formam suam nondum obtinuit ac malleus & incus, magnitudine non nihil aucta, substantiam non mutavere suam. (KERCKRING. l. c. p. 224.) Os sphenoides hoc sexto ac reliquis ad nonum usque mensibus augetur paulatim, cartilagineque, quæ inter ramos hinc inde intercedebant, minuuntur

tan-

tandemque omnino obliterantur ac in os unum coeunt. In ethmoideo, ac squamulis quidem ejusdem duabus, ad oculorum orbitam constituendam concurrentibus, hoc mense ossificatio absolvitur, reliquum in sutibus manet cartilagineum. (KERCKRING l. c. p. 227. 228. 231.) In sterno ossiculorum numerus incertus est, ac modo quatuor modo quinque, aliquando unum tantum inveniuntur. (KERCKRING. l. c. p. 249.) Figuram sceleti fetus sex mensium vid. t. c. Tab. XXXVI.

§. XLII.

In fetu septimestri multæ partes cartilagineam prorsus exuunt ac osseam induunt naturam, & uti ossificatio in singulis partibus, in ossa commutandis sensim clarius visui se offert: ita & nihil tam minutum est eorum, quæ postea, in ossibus formatis existunt, quod septimo mense se non prodat in cartilaginibus. Cartilaginositas in osse frontis, quæ sexto mense adhuc comparuit, hoc nullum sui signum relinquit, in ossis substantia. (KERCKRING l. c. p. 216.) In ossibus sincipitis futuræ paulatim ita arctantur, ut laxæ per harmoniam jungantur, sed ab ossibus sphenoidæ & temporum adhuc media membrana satis notabili discedunt hiatu. (KERCKRING l. c. p. 218.) In ossibus temporum ossiculum tertium duobus reliquis, inter se coalitis adcrefcit. Jamque malleus, stapes incus adeo perfecta sunt, ut substantia, duritie, figura, magnitudine vix differant, ab ipsis hisce auditus organis, in natu grandioribus, & processus tantum longior mallei, quo tympani membranæ adhæret, etiam num sub finem aliquid ostentat cartilagineosum, quod mox etiam evanescit. (KERCKRING. l. c. p. 224.) In maxilla, tam superiore, quam inferiore, tumores quidam seu alveoli dentium, multo adparent euidentiùs, quam in adultis, initio extrinsecus magis protuberantes. (KERCKRING l. c. p. 236.) Epistrophei dens tandem jam ossificatur, & atlas punctum corporis in arcu ostendit

ostendit osseum, ita, ut hic tribus, ille quatuor constet ossibus (KERCKRING. l. c. p. 243.) Septimo hoc ac sequenti mense adparent obscure omnes sinus tubercula, appendices, epyphisesque, humeri, cubiti item & radii, octo cartilaginum carpi, articulationum metacarpi & digitorum, æque distincte in cartilaginibus, quam postea in ossibus. Secundus ac tertius pedis digitus nunc quoque gaudet puncto articuli medii, ac os calcaneum ossificari incipit, nec non articulationes quædam adparent in cartilagine. (KERCKRING. l. c. p. 255. 258. 259.) Figuram sceleti fetus septimestris vid. l. c. Tab. XXXVII.)

## §. XLIII.

Fœtus actimestris a septimestri proxime antecedente quoad ossium constitutionem ac specificationem non differt, nisi ossificationis magnitudine ac robore ossium firmitateque auctis. Hoc vero mense licet per fontanellam maxime in osse frontis clare conspicere sinum longitudinalem per duram matrem ei adiunctum, ac hiatus inter ossa sincipitis, temporum ac sphenoidea antea satis notabilis jam vix amplius adparet. (KERCKRING. l. c. p. 216. 218.) In osse occipitis os tricuspidale triangulari magno adcretum, nunc plerumque coronas occipitis tangit, quas versus crescendo se extendit duabus cuspidibus. (KERCKRING. l. c. p. 219.) In ossibus temporum fetus nullum habet processum mamillarem, ac tum adhuc insigni cartilagine distat, os petrosum ab occipitis & sincipitis ossibus. (KERCKRING. l. c. p. 224.) In spina dorsi omnia crescunt ac auferunt, ast os coccygis etiam nunc est manetque totum cartilagineum. Ossiculorum sterni magna in hoc mense datur varietas, ut nil certi liceat statuere. Calcaneus vero ac astragalus ossificantur, ac articulationes quædam adparent in cartilagine. (KERCKRING. l. c. p. 243. 249. 259.) Figuram sceleti fetus octimestris vid. l. c. Tab. XXXVIII.)

## §. XLIV.

XLIV.

Reliquum est, ut constitutionem substantiæ ossium foetus novem mensium contemplemur ac quibus ossa hæc recenter natorum, ab ossibus adultorum distent, paucis enumeremus; ubi generatim notandum, multas partes, in ossa commutandas in infantibus recenter exclusis, vel meras, vel maximam partem referre cartilagineas; epiphyses omnes ac apophyses maximam partem, omnesque articulationes esse cartilagineas ac imperfectas, nec pauca dari ossa, quæ intermedia cartilagine, seu membrana, ex diversis adhuc constant frustis. Speciatim os frontis, totum nunc osseum, in adultis raro intermedia futura duplex, sed eadem oblitterata plerumque unicum constituens os, in recenter natis ex duobus constat ossibus, membrana cartilaginea, per mediam ad nasum usque excurrente, distinctis, cavitatibusque ac meditullio caret. (KERCKRING. l. c. p. 17. HELSTER *Comp. anatom.* p. 19.) Os occipitis, postquam ossiculum tricuspidale, cum triangulari ac duobus coronoides coaluit, jam ex quatuor constat frustis, posteriori scilicet, lateralibus duobus, ac priore, intercedente cartilagine connexis; in adultis unicum est os. (KERCKRING. l. c. p. 219. ALBINVS *Osteogen.* p. 7.) Ossia parietalia a centro quidem ad peripheriam latius expansa sunt; ast diploë ac sulcis caret impressis. (HELSTER l. c. p. 24.) Hiatus inter ossa sincipitis, temporum ac sphenoides, antea notabilis, hoc mense omnino evanuit. (KERCKRING. l. c. p. 218.) Ipsum in adultis unicum os sphenoides, quod ubi confirmari fetus in utero incipit, quinque frustra ossea exhibet, basem nempe, processus tenues duos, duasque partes laterales, interiecta cartilagine conjuncta, jam vel ex tribus, vel quatuor constat frustis, basi, partibus lateralibus duabus, ac processibus tenuibus conjunctis in unum; plerumque vero hi processus cum basi unum constituunt os. (ALBINVS l. c. p. 27. 28.) Ossia temporum ex parte constant petrosa, squamosa & circulo seu annullo osseo, cujus rimæ membra-

na tympani innascitur; in adultis unum hae partes conficiunt os (HEISTER I. c. p. 20. 112.) ac processus styloides qui cum osse petroso per articulationem vel junctus vel plane coaluit in adultis, jam mere est cartilagineus. (KERCKRING. I. c. p. 221. HEISTER I. c. p. 20.) Os eribriforme nunc constat, ex duabus partibus ossis spongiosis, ac lamina interiecta media mere cartilaginea; in adultis laminae huius pars, quae efficit septimum partem superiorem ac cristam galli, tota est ossea. (ALBINVS I. c. p. 14.) Connecuntur ossa cranii & praecipue os frontis, sincipitis ac occipitis, mollibus latis flaccidisque vinculis cartilagineo-membranaceis ac distant inter se, maxime vero in loco, ubi ossa frontis ac sincipitis concurrunt; ibi enim magnus datur hiatus, qui fontanella adpellatur per cuius membranas sinus longitudinalis clare conspicuus est, qui clauditur sensim perfectione ossium sincipitis ac frontis. In adultis futurae ossa cranii intercedunt, ac ubi vis cranium est osseum. (VERHEYEN *Supplem. anatom.* p. 626.) Ossa maxillae superioris paulatim eum in modum aucta sunt ac perfecta, ut totum hoc os eam referat figuram, quae in adultis; in maxilla vero inferiori in medio menti bifida, quatuor foramina obscure adparent, per quae os admittit ac emittit, arteriam, venam neruumque; in adultis unicum constituit os. (KERCKRING. I. c. p. 232. 236.) In utraque maxilla adparent extuberantiae alueolorum, qui dentes imperfectos & sine radicibus absconditos continent; tunc enim dens non nisi folliculus est, materie mucosa plenus, figurae utrumque orbicularis, qui alueolo latet (v. de HALLER *not. ad Praelect.* BOERHAAV. p. 153.) Os hyoides majorem partem adhuc cartilagineum est, ac ex iisdem partibus constat, ex quibus in adulto, basi, cornubus duobus, totidemque partibus grani formibus. (ALBINVS I. c. p. 147.) Vertebrae adhuc ex tribus partibus, intermedia multa cartilagine, sunt compositae corpore nempe uno, ac partibus lateralibus seu alis duabus ac apophyses spinosae desunt; in adultis ex uno vertebrae constant frusto. Os sacrum adultis unum, remanen-

mauentibus quatuor vel quinque diuisionum vestigiis, maximam partem nunc adhuc est cartilagineum, distinctum ordinarie in quinque vertebrae, ex multis constantes frustis. (HEISTER. l. c. p. 38. 41. ALBINVS l. c. p. 58.) Os coccygis in adultis plerumque unicum, ex tribus vel quatuor antea constans frustis cartilagineis, ut plurimum distinctis, mere adhuc est cartilagineum: (HEISTER l. c. p. 41.) in interna attamen ea parte, quæ corpus dicitur, exoriuntur modo unum modo duo puncta ossea, caput majoris aciculæ non excedentia. (KERCKRING. l. c. p. 243.) Sternum, quod in adultis plerumque ex tribus, aliquando ex duobus, in senibus quoque ex uno constat ossibus, ex pluribus in infantibus recenter natis compositum est frustis, plerumque quatuor, ad summum sex, nunquam pluribus, sed paucioribus saepe, ac inferior ejus pars adhuc est tota cartilaginea, uti & cartilago mucronata. (KERCKRING. l. c. p. 249. ALBINVS. l. c. p. 80. seq.) Tria ossa innominati, os scilicet ilii, pubis & coxendicis, quæ concurrunt simul ad constituendum acetabulum hucusque quidem insigniter aucta sunt, attamen nono hoc mense laxis adhuc cartilaginibus mediis connectuntur, & margo quoque ilium, qui crista dicitur, cartilagineus est; ad pubertatem usque distincta manent, postea in vnum os concresecunt. (KERCKRING. l. c. p. 245. ALBINVS l. c. p. 98.) In scapula processus gemini sunt magnam partem adhuc cartilaginei, uti acetabulum & ei insertum capitulum ossis humeri, adeoque scapula nunc constat parte lata ossea, una cum spina ac tribus additamentis cartilagineis, quorum primum basem efficit, alterum magnam partem cervicis, cum sinu sigmoideo ac processu coracoido, tertium processum superiorem, qui in summo humero, quæ partes cartilagineæ a parte lata ossea sensim absumentur, majorem vero partem in epiphyses abeunt, præsertim acromion ac processus coracoides, quæ ad pubertatem usque & ultra distincta exhibent ossa. (KERCKRING l. c. p. 253. ALBINVS. l. c. p. 126. HEISTER. l. c. p. 47.) Costæ, uti claviculæ sunt perfecte ossæ omnes,

præter extrema cartilaginea, quibus & corporibus vertebrarum & processibus transuersis insunt, quæ in duo capitula abeunt cartilaginea, quorum uno corporibus vertebrarum, altero processibus transuersis committuntur. (ALBINVS. l. c. p. 73.) Os humeri, ac cubiti cum radio constant ex trunco osseo ac extremis cartilagineis, in epiphyses mutatis, ac abeuntibus postea in naturam osseam. Ossa carpi singuli cartilaginea adhuc sunt, sicuti & tarsi, præter calcaneum & astragalum. (ALBINVS l. c. p. 109. 129. 131. ad 36.) Dux apophyses in osse femoris, trochanteres dictæ una cum capitulo, nunc & ante pubertatem distinctæ epiphyses sunt itemque tota extremitas inferior. (HEISTER. l. c. p. 54. 55.) Patella ac reliqua ossa sesamoidea mera sunt adhuc cartilaginea. Tibia non gaudet figura angulosa sed fere cylindrica, ejusdemque, uti & fibulæ utraque extremitas, ex distinctis constat epiphysibus. (ALBINVS l. c. p. 104. 105. 107. 124. HEISTER l. c. p. 57.) Ossa metatarsi ac metacarpi digitorumque manus ac pedis maximam partem adhuc cartilaginea, ex trunco constant osseo ac additamentis cartilagineis, inuersaque ac varia ossificantur ratione. (ALBINVS l. c. p. 115. 120. 123. seqq.) Nono hoc mense clare videntur omnes sinus, tubercula, trochleares, appendices, epiphyses humeri, cubiti item & radii, octo cartilaginum carpi, metacarpi articulationum & digitorum æque distincte jam in cartilaginibus, quam in ossibus postea seniorum; non enim articulatio, in omni cartilagine perfecte ante nonum mensem delineata est, quo mense pedum digitus minimus, minimum tandem ostendit, in medio suo articulo ossificationis indicium. (KERCKRING. l. c. p. 225-259.) Figuram sceleti fetus novem mensium vid l. c. Tab. XXXIX. Ante omni inspicui merentur *Icones nitidissimæ ossium fetus Ill.* ALBINI.

## §. XLV.

Ex enarrata hucusque (§. XXVI-XLIV.) per singula mensium intervalla, constitutione ossium fetus, & adcretionis eorundem historia, patet, exhibere ossium fetus substantiam singulis mensibus



sibus faciem variam, plane singularem, a priori diuersam, satis conspicuam. Quæ cum in statu naturali, ac secundum cursum naturæ ordinarium, (§. XXXV.) determinato tempore, mensibus circumscripto, semper in eadem ratione respondeat, instar normæ erit, quacum ossium datorum fetus substantia comparari ac ætas ipsius inde determinari potest. (§. XII) Quodsi igitur sit problema: dantur ossa fetus, inuenire ejus ætatem; erit resolutio: 1) disquiratur ossium datorum substantia generatim, ac speciatim singulas partes curatius lustrando; 2) Comparetur hæc cum substantia, quam ossa sub determinato mensium spacio offerre solent, 3) obseruetur cujus ætatis fetus ossibus quam proxime respondeant: & hæc significabunt ætatem fetus quæsitam. Substantia enim ossium, singulis mensibus notabiliter diuersa, in statu naturali, cum determinato tempore, in una eademque ratione, nunquam non coincidens, characterem, solum continet, ex quo ætas fetus determinanda, ac prout singulis mensibus in statu naturali adparet, legem ponit constantem, secundum quam ossa fetus quæcunque, in statu naturali spectata mensurare licet. (§. XI. XII. XXXV. XLIV.) Ossia fetus igitur data, comparata cum substantia, quam ossa fetus singulis mensibus exhibere solent, ejus censendæ erunt ætatis ac ossa, quorum substantiæ quam proxime respondent sub determinato ætatis tempore.

§. XLVI.

Cum dicta, de ossium fetus constitutione, per singulos menses deducta (§. XXXV. XLIV.) ac ratione, quæ est cognita horum substantia ætas ossium datorum ac fetus ipsa determinari possit (§. XLV.) de ossibus tantum valeant, in statu naturali ordinario spectatis (§. XXXV.) cauendum est, ne regulas datas ac conclusionem inde deductam (§. XLV.) uniuersaliter ueram declaremus, quæ ueritatem solummodo continet, sub determinatione limitatam. Fieri enim potest, in statu præter naturali, ex rationibus supra adductis, ut ossa data fetus, substantiam exhibeant longe teneriorem, quoad cohesionem ac firmitatem, quam pro ratione ætatis, qua gaudent, fieri debebat, quippe quæ interdum cum substantia ossium fetus, ipso quoad ætatem, per unum vel aliquot menses inferioris coincidit

vidit. Quodsi igitur in hoc casu, ex regulis supra positis colligere quis vellet universaliter fetum ipsum, ad eam tantum ætatem delatum fuisse, qua gaudet fetus, cujus ossibus data ossa, quoad substantiam & adcretionis terminum respondent; manca sane ac fallax foret argumentatio. Fieri quoque interdum solet, ut naturæ conformatricis præcoqua maturitas, legem ordinariam eludens, quasdam ossium fetus partes, intra breuius temporis spacium, ad eum firmitatis ac incrementi gradum perducatur, quem istæ partes, post notabile demum temporis interuallum offerre debent; vix enim vnquam evenire potest ut ossa fetus omnia simul ad præcoeam ejusmodi firmitatem & adcretionis gradum, contra naturæ ordinem perveniant. Quam ob causam necessarium est, ut ætatem fetus determinatam ex ossibus datis exploraturus, non ad vnâ vel aliquot tantum ossium partes attendat, sed ut ossa pleraque, si non omnia data fetus, quoad substantiam, quam præ se ferunt curatius examinet, eadem cum constitutione ossium, sub certo mensium tempore, ex observationibus anatomicis cognita, caute comparet ac inde iudicium eliciat. Quæ cum ita sint, instar regulæ quidem poni potest, ætatem fetus, cujus ossa data sunt, eandem minimum esse censendam, ac fetus, cujus ossium substantiæ, quoad plerasque, si non omnes ossium partes, quam proxime respondent; aut vice versa concludere haud licet.

#### §. XLVII.

Accidit seculo nostro, prohi dolor! haud infrequenter, ut meretrices imprægnatæ, graviditatem celantes, fetum clanculum exclusum, vita priuatam clam sepeliant, vel alio modo varioque e medio ac conspectu tollant, eaque hac ratione pœnam nefando hoc crimine dignam declinare tentent. Plane singulari vero merito debeamus justitiæ ac gratiæ divinæ directioni, inhumana talia fata interdum palam fieri ac infelicem partum a putredine quoad partes molliores consumptum, in latebris protractum ac luci redditum vindictam tanti sceleris exposcere. Quo in casu ante omnia quæstio occurrit, cujus ætatis fuerit iste partus, ac an per ætatem, qua gaudet, extra vterum vivere, vitæque priuari potuerit, nec ne? ad quæ medicus forensis, cujus inspectioni cadaver traditur, responsonem reddere debet. Qui cum ossa tantum a putredine intacta relicta contemplanda inueniat, mollioribus destratis jamdum, ex ossium corporis putrefacti. Sola inspectione ætatem indagare potest ac debet. Qua ratione ex ossibus datis ætas fetus determinanda; dictum est antecedentibus, hinc regulæ supra positæ ac explicatæ (§. XLV. XLVI.) hic poterit applicari.

#### §. XLVIII.

## §. XLVIII.

